

Adusum Fris Stanislai Kostka E.C.M.C.
Ao 1760.

n.c

SACRA PEREGRINATIO

Per Sanctam

CRUCIS VIAM

AD

MONTEM CALVARIÆ,

Viginti diversîs praxibûs illustrata, Religiosis præsertim, & Sacerdotibus accommodata.

à

Quodam Sacerdote Ordinis Seraphici Provinciæ Argentinæ, seu Germaniæ Superioris.

Anno 1761.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

Ex Ducali Campidonensi Typographæo per Andream Stadler.

OPISANIE

Cudownego nawrocenia, Wielkiego iednego Grzeßnika, z łaſki Serca P. JEZUSOWEGO wyięte z świadectwa W. X. Fideliſa Madera, *Ktory go na śmierć dyſponował R. P. 1766. w Lipcu:*

SKazáno ná śmierć pod miecz Kátowſki, Człowieka dzikiego wielce przyrodzenia, nazwiſkiem Filippa Geiſpergera w Mieście Ambergu, wyżſzego Palatynátu, zá popełnione przezeń Zaboyſtwo. Skoro ten nieſzczęśliwy, uſłyſzał wydany ná ſiebie Dekret śmierci, nátychmiaſt iak gdyby w nieiakie wpadł ſzaleńſtwo, począł wywierać okrutną złość ſwoię ná Sędziow ſwoich, Ktorych bezwſtydnie powoływał ná Sąd Boſki, i oświadczał ſię że niechciał im nigdy urazy ſwoiey przeciw nim odpuścić, co moment, bardziey ſię zaiadłym pokazywał, zgrzytał ſtráſzliwie zębámi, á co gorſza, częſto ſzátana wzywał áby go żywego porwał wraz i z Sędziami ſwemi. Szczęściem dla tego Grzeſznika (mowi X. przerzeczony) zánioſłem mu Obraz Zbáwiciela, ná ktorym on był wyrażony,

JESU CHRISTO
VIÆ CRUCIS
AUTHORI
MATRI DOLOROSISSIMÆ,
PROPAGATRICI,
ET
FRANCISCO, ejusdem Reſtauratori,
ſe, unà cum hoc libello Demiſ-
ſiſſimo affectu
D.D.D.

FA-

FACULTAS
A. R. P. PROVINCIALIS
ET
PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

EGo F. Leo Stehle SS. Theologiæ Lector Emeritus, Ordinis FF. Min. S.P. Francisci strictioris Observantiæ Recollectorum, Provinciæ Argentinæ, seu Superioris Germaniæ Minister Provincialis, hisce facultatem concedo, ut libellus, cui Titulus: *Peregrinatio Sacra ad Montem Calvariæ*, ab aliquo Sacerdote nostri Ordinis ac Provinciæ compositus, ac à Theologis ad id deputatis lectus ac census prælo dari possit. Cúmque S. Cæsareæ Majestatis Privilegio cautum sit omnibus & singulis Typographis, & Bibliopolis, ne libros à nostri Ordinis Patribus editos imprimant, vel recudant &c. Absque

que assensu & facultate dictorum Patrum sub gravissima mulcta &c. Hinc Domino Andreæ Stadler Typographo Aulico Campidonensi facultatem pariter impertior dictô Privilegiô utendi pro prima tantùm impressione præfati Libelli. In quorum fidem has manu mea subscriptas, & Officij mei Sigillô munitas dedi in Conventu nostro Salisburgensi Die 30. Maij. Anno 1745.

F. Leo Stehle
qui supra.
Mppria.

APPRO-

APPROBATIO

Theologica I.

PEregrinationem præſentem per ſanctam viam Crucis ad montem Calvariæ , quam quidam Ordinis , & Provinciæ noſtræ Argentinenſis Sacerdos ſtudioſiſſime adornavit , oculo & mente relegi. Ea ſanè tam ad intellectum illuminandum , quàm ad voluntatem amore Crucifixi Domini inflammandum plurimum conferre poterit ipſam devoto affectu obituris. Cúmque præterea à recta fidei , & morum ſemita , quam S. Romana tenet Eccleſia , nec in minimo deflectat , imò recta ad cœlum ducat , digna eſt , quæ cunctis Crucis Chriſti amatoribus prælô publicô pandatur , junctóque encomiô recomendetur. Ita cenſeo ex Conventu Lenzfridano Fratrum Minorum Recollectorum.

Die 25. Maij 1745.

F. Cherubinus Mayr
Lect. Jub. p. t.
Guardianus.

APPRO-

APPROBATIO

Theologica II.

De voluntate A. R. Patris Miniſtri Provincialis libellum, cui titulus: Peregrinatio ſacra ad montem Calvariæ, à quodam Provinciæ Argentinenſis Sacerdote laborioſiſſimè, ac ſtudioſiſſimè conſcriptum, ſedula, ſolertique lectione volvi, & evolvi; qui, cùm nihil fidei Orthodoxæ, aut bonis moribus adverſum contineat, ſed potiùs Dominicæ Paſſionis Myſteria in ſolatium, & utilitatem ad montem Calvariæ ſpiritualiter peregrinantium, concinnè, ſolidéque commendet; hinc prælo, & luce publica digniſſimum cenſeo.

Die 25. Maij. 1745.

F. Amadæus Zembſch,
in Conventu Lenzfridano p. t. Phliæ
Lector.

Ad

Ad Lectorem.

PAtere, Religiose Lector! ut vel in primo hujus libelli, quem manibûs tuîs, & obtutu dignaris, limine paulisper te morer, haud absque consilio Tituli rationem redditurus. Præviè enim te admonendum duxi, ut, dum à prima fronte: *Peregrinatio Sacra* legis, non statim nauseam contrahas, utpote cui fors nec animus, nec facultas est peregrinandi. At verò non ea mihi mens est, ut ad laboriosas, & sumptuosas te peregrinationes allicere satagam; sed unicè, *quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino*, teste Apostolo 2. Cor. 5. ut non tantùm *à Domino*, verùm etiam *cum Domino* peregrineris. Hæc te peregrinatio non fatigat, sed roborat: non est sumptuosa, sed fructuosa: non movet locô corpus, sed movet animum, nisi fortassis motum corporis eò usque fastidias, ut è cubili ad Ecclesiam, ab una Statione ad aliam, è terra in cœlum, deportari illud verearis. Nec illud te offendat, quòd hæc *Peregrinatio* sit *per viam Crucis ad montem Calvariæ*. Trita enim hæc via est, & cruentîs Salvatoris vestigiîs prava in directa, & aspera in vias planas mutata sunt. Noli metuere, nè fortè offendas ad lapidem pe-

dem tuum, nisi offendi pedem credas lapide angulari, qui factus est in caput anguli, & universam hanc viam suo stravit sanguine. Hæc insuper via tam secura est, ut nemo sanæ menris possit errare : tam lucida, ut etiam oculos cæcorum aperiat : tam præstans, ut egenos locupletet, locupletes faciat locupletiores : Reges potentiâ, Optimates prudentiâ, cives saturitate, Religiosos sanctitate, Sacerdotes im̄ortalitate, peccatores veniâ, pœnitentes consolatione, tribulatos fortitudine, universos universali lætificet, ac absorbeat beatitudine. In vita ditat, in morte juvat, post mortem beat. Quid multîs? *Ambula ubi vis: quære, quodcunque volueris, & non invenies altiorem viam suprà, nec securiorem viam infrà, nisi viam sanctæ Crucis*, ait Thomas Kemp. l. 2. de Imitat. Christi c. 12. In vita ditat; siquidem nec unicum quidem passum in hac via feceris absque ingenti emolumento. Nam, ùt Ludov. Blos. l. 1. instit. Spirit. c. 6. testatur; *Nullus omnino potest aliquid de Domini Passione humiliter legere, aut cogitare, licèt modico fortè affectu id faciat, quin eximium salutis fructum inde referat; &, si imago Crucifixi piè inspicitur tantùm, non erit inanis hæc inspectio.* Profectò non erat inanis hæc inspectio in S. Pau-

lo Apoſtolo, qui candidè fatetur 2. Cor. 7. *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Ejusdem gaudij participem exinde ſe factum eſſe teſtatur S. Auguſt. l. 9. Confeſſ. c. 6. ſic aſpirans: *Quantùm flevi, bone JESU! in acerbiſſima mortis tuæ meditatione, tantô miſericordiæ tuæ prodigiô commotus acriter! Eliquabatur ſcilicet miſericordiæ tuæ dulcedo in cor meum; & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* S. P. meus Franciſcus per integros interdum menſes inceſſabilibûs lacrymîs deflens Paſſionem Domini ad ocularis uſque luminis jacturam, tantô ſe gaudiô, conſolatione, & ſpirîtus exultatione repleri faſſus eſt, ut per omne vitæ tempus, etiamſi ad noviſſimum diem protrahendum eſſet, alio ſe gaudio, & ſolatio non indigere arbitraretur, præterquam illo, quo hactenus ſe repletum ſenſiſſet. Id nimirum intereſt diſcriminis inter humanum ſolatium, & Paſſionis Dominicæ planctum; quòd humanum ſolatium deſinat in luctum, luctus autē Paſſionis Dominicæ deſinat in gaudium, & ſolatium mentis ineffabile.Hac veritate convictus exclamat Jacobus Tyrinus in illud Cant. 5. *Meſſui myrrham meam cum aromatibus: ſed en! mirabilem ſtatim metamorphoſin! myrrha amariſſima fit favus dulciſſimus, &*

 vinum

vinum ſapidiſſimum ; nec jam ampliùs torquet ſua amaritudine ; ſed recreat, & inebriat inſtar generoſiſſimi vini. Idipſum latè demonſtrat noviſſimè noſter P. Sabinianus Fritſch, in aureo ſuo libello, quo viæ Crucis amorem vehementer inſtillat. Inter alia refert Author hic, Religioſum quemdam eò teporis, triſtitiæ, ac languoris perveniſſe, ut nec orationi, aut lectioni vacare, nec aliud bonum opus aggredi auderet. Contigit fortè, ut tædiô, & languore plenus in ſua cella moraretur ; cùm de repentè cœleſtem hanc vocem auribus ſuis illapſam ſenſit : *Quid hic ſedes otioſus in te ipſo tabeſcens ? ſurge, & meam devotè pertracta Paſſionem, & in ejus amaritudine tuum vinces dolorem.* Surrexit ille, obſecutus eſt, vicit. Quid adhuc egemus teſtibûs ? ſi ipſe cœleſtis Medicus pro morbo hoc communiſſimo curando non aliud, quam Paſſionis ſuæ recolendæ pharmacum *præ*ſcribit : quis audeat de illius efficacia dubitare ? Jactet nunc ſuas divitias Cræſus : ſtudeant alij ex reconditis terræ latebris theſauros eruere : ditior eſt, qui ſacram Crucis viam vel à limine attingit. Enimverò quis civium, quis principum, quis Regum, tantarum divitiarum aut hæres eſt, aut poſſeſſor, ut absque ærarij diſpendio, & crumenæ ſuæ rugis, tam

pro-

propria, quàm genitorum, ac majorum ſuorum debita valeat expungere? Valeat hoc noſter per viam Crucis Peregrinus, in qua apertus exſtat inexhauſtus Eccleſiaſticarum divitiarum theſaurus: & nè quis inani deciperetur perſuaſione, tantam, & non majorem quotam, certósque limites ex hoc theſauro diteſcere volentibus poſitos eſſe: ſacræ Congregationis decretô cautum eſt; nè quis taxare, aut ſpecificare præſumat Indulgentias, ſingulis Stationibus conceſſas; quia credibile eſt, longè plures, ac determinari poſſint, Apoſtolica largitate eſſe profuſas. Porrò tanta eſt ipſius Dei, ac Domini noſtri JESU Chriſti, erga viam Crucis, & ſacros Peregrinantes, affectio, ut, licèt prædictam Vicarij ſui, Romani Pontificis, liberalitatem, quàm dignantiſſimè ratificet, ipſemet tamen ex Divinis ſuis theſauris (ùt cuidam devoto Dei famulo revelatum eſt teſte Joanne Thaulero) ſequentes novem pretioſiſſimas margaritas adjiciat.

Prima eſt: Devotus in via Crucis Peregrinus à peccatis omnibus emundatur, & quidquid neglexit, id illi ex meis meritis reſtituitur.

Secunda: Ad reſiſtendum hoſtibus ſuis ita confortatur, ut nullum ex eo triumphum

phum ferre queant ; & etiamsi ex infirmitate non nunquam labatur, dexteram tamen meam suppono, nè collidatur, & pereat.

Tertia : Ad bona quæcunque opera, diversásque virtutes peragendas, vires acquirit.

Quarta : quantumlibet brevi cogitatione eandem Passionem meam revolvat, semper anima ejus in gratia mea renovatur.

Quinta : Devotè Passionem meam commemoranti libenter ego commoror.

Sexta : Arcana, mihi à Deo Patre manifestata, illi similiter aliquando pandam.

Septima : Ante mortem eum mihi placentem reddam, & defunctum cum amicis meis remunerabor.

Octava : Nihil eorum, quæ seriò, rationabiliter, convenientérque petit, illi negabo.

Nona : In morte illi adversùs hostes assistam ; & de vita æterna ipsum faciam certum, atque securum.

Via igitur Crucis *infinitus est thesaurus hominibus, quo, qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Sapient. 7. Ditat ergo in vita.

Juvat etiam in morte. Et quid nî juvet in extremo illo rerum articulo, de Deo esse

esse optimè meritum, & Judicem sibi habere obstrictum? juvat utique. O! quàm prægrande in morte habiturus es juvamen, qui frequenti, ac devoto per viam Crucis itinere Deum tibi, & Judicem tuum devinxisti. Fatetur incarnata Veritas apud Ludolphum Chart. vitæ Christi p. 2. c. 58. Non posse se magis creaturæ devinciri, & gratius sibi ab ea obsequium exhiberi, quàm frequenti, & gratâ Passionis suæ memoriâ. Porrò, si iter æternitatis ingressurus de bonorum operum penuria cruciaris: timorem protinus abjice: multam collegisti bonorum operum messem, si sacras sæpiùs per viam Crucis peregrinationes obiîsti. Non mea hæc est sententia; sed B. Alberti Magni apud Discip. ser. 1. in Parasceve. Ludovici Granat. Ludovici de Ponte, & aliorum Ascetarum docentium, quòd *simplex meditatio Passionis Christi plus valeat, quàm si quis per annum jejunaret in pane, & aqua, quâlibet feriâ sextâ: vel disciplinaret se quâlibet hebdomada per annum usque ad effusionem sanguinis: vel quotidie legeret Psalterium.* Hæc, si tu fecisses, nescio, quæ te æternæ salutis teneret fiducia: atqui fecisti plura per unicam simplicem de Passione cogitationem: imò fecisti talia, tantáque opera coram Deo, quanta nec crede-

res

res à creatura procedere poſſe. Audi, quæ ex revelationibus B. Mechtildis duco, quam Chriſtus aliquando ita affatus eſt : *Quoties homo in meditatione Paſſionis meæ ex amore ſuſpirat, toties vulnera mea, tanquam cum vernante roſa ſuaviter tangit : ex quo ſagitta amoris in animam ejus evibratur.* L. I. Revel. c. 24. Alia vice : *In veritate dico tibi, quòd ſi quis ex devotione erga Paſſionem meam lacrymam fuderit, hoc ita acceptabo, ac ſi pro me paſſus fuiſſet.* L. 1. c. 27. O ſtupendam Dei bonitatem ! Denique lib. 2. Revel. c. 15. hæc à Chriſto illi revelata ſunt : *Si quis mihi pro illo dolore, quòd in Cruce ita extendebar, ut omnia membra mea numerari potuerint, gratias egerit, tale mihi præſtat obſequium, ac ſi vulnera mea unguentò unxiſſet. Et, ſi quis mihi gratias egerit pro ſiti, quam ſuſtinui, hoc ita accepto, ac ſi ſitim meam extinxiſſet. Et, ſi quis mihi gratias egerit, quòd clavîs Cruci affixus ſim, hoc mihi ita gratum eſt, ac ſi me de Cruce liberâſſet.* Obſtupeſcentem jam ſeponerem calamum, niſi te monendum duxiſſem, ut, ſi de enormi tuæ ſalutis incuria evidenter convinci nolis, frequenter in hac Crucis via peregrineris : Hæc peregrinatio juvabit te in luctuoſo mortis conflictu.

Beabit denique poſt mortem. Refert

Cæ-

Cæsarius l. 13. c. 51. Religiosum quemdam, è divi Benedicti familia (quæ in nostra Germania exercitio viæ Crucis addictissima est) subitô correptum morbô, & defunctum, confestim suo Abbati post fata apparuisse; eidémque indicâsse, se recta ad cœlestem Patriam absque remora tendere. Ergóne fili mi! ajebat Abbas, absque purgatorio in cœlum tendis? ita est, reposuit ille; quotiescunque enim imaginem Crucifixi prætergressus sum, per sacra ejus vulnera, illámque amaritudinem, ac dolores, quos ejus anima in Cruce fuit perpessa, rogavi, ut esset animæ meæ propitius in hora mortis. Propitius mihi fuit; & hinc cœlum conscendo. Idipsum est, quod suprà ex Thaulero retuli. Nec mirum? si enim tam profusum se exhibet Deus illis in vita, & in morte, qui Passionem Dominicam recolunt; an poterit eorum oblivisci post mortem? nunquid post obitum nostrum abbreviata est manus Domini? aut poterit Dominus oblivisci servi sui, qui sedulò recordatus est Domini sui? Minimè gentium! *Nihil enim in anima ita operatur universalem sanctificationem, sicut meditatio Passionis Christi*, ait sanctus meus Bonav. in Stim. amoris.

Hæc cùm ita sint, ut post mortem

bea-

beata te exſpectet æternitas, quæſo, cogitatus tuos illuc converte, ubi *abluit Dominus ſordes filiarum Sion in Spiritu ardoris*, Iſa. 4. ut Dominus noſter JESUS Chriſtus, juxta vaticinium Zachariæ 9. c. *in ſanguine teſtamenti ſui emittat vinctos ſuos de lacu, in quo non eſt aqua*; ſed ignis conflans, & emundans argentum, ac purgans filios Levi. Malach. 3. Exclama cum S. Aug. l. 9. Conf. c. 33. *Pro peccatis Matris meæ* (aut aliarum animarum, in individuo determinandarum) *te deprecor, exaudi me per medicinam vulnerum tuorum, quæ pependit in Cruce.* Qualis hæc medicina? *Purgationem peccatorum faciens.* ad Hebr. 1. Paſſio nimirum Chriſti, cujus uſum (teſtis eſt S. Antoninus p. 3. tit. 4. c. 8. q. 15.) optime æſtimavit B. noſter Joannes de Alvernia; nam *obſervatum eſt non rarò, vulnerum Salvatoris affectuoſo cultu tot animas è Purgatorij flammis ſolviſſe, quot ab ingenti igne vehementer agitato in aërem evolant ſcintillæ.* Hinc mirum non eſt, quòd animæ, piacularibus flammis deſtinatæ, nihil æque deſiderent, quàm ut de ſacra viæ Crucis peregrinatione participent, velut teſtatum facit P. Hilarius de Borgo Novo, in via Crucis illuminata l. 2. c. 26. referens, Mariæ de antiqua, Moniali Hiſpanæ, ſanctitate claræ,

unam

unam ex defunctis religiosis suis sororibus apparuisse, in hæc lamenta erumpentem: *Ut quid pro me, & alijs defunctis, non frequentatis sacras viæ Crucis Stationes? Pro hoc utilissimo charitatis officio vos meo, & omnium fidelium purgantium nomine vehementer imploro.* Similibus forsan vocibûs parentes tui, propinqui, & confratres tuam opem implorant: cave, nè detestandâ socordiâ ligatus tam ardentem supplicationem non exaudias. Nolito credere, alia de causa ingentem Indulgentiarum copiam à Romanis Pontificibus huic exercitio adjectam fuisse, quàm ut earum reliquiæ, quas tibi applicare non potes, cadant quasi de mensa tua in stagnum flammarum ardentium, ut ab his solutæ evolent in libertatem filiorum Dei perfectam. Ecce, sic beat post mortem sacra per viam Crucis peregrinatio. Summa summarum: *Non potest Deo gratius Sacrificium offerri pro defunctis, certius remedium pro vivis, majus gaudium Angelis, & SS. Trinitati excellentius grati animi, & debitæ reverentiæ argumentum, quàm se quotidie exercere in contemplatione Passionis Salvatoris nostri*, ait S. Bonav. Ad hanc contemplationem, & sacram peregrinationem frequentandam, nos exhortantur SS. Patres; extimulant Ascetæ: propria trahit felicitas: nul-

la absterret difficultas: invocant animæ purgatorij: invitant commoditates, ac utilitates ineffabiles, & lucra prorsus ingentia: allicit ipse Christus Dominus promissîs superexcessivîs: impellit summus Christi in terris Vicarius Innocentius XII. & Benedictus XIII. qui pro singulis horæ quadrantibus, in hac sacra peregrinatione transactis, centum dierum Indulgentias in Domino concessêre: plenariam item Indulgentiam, defunctis applicabilem, ijs, qui per mensem integrum quotidie, vel unico horæ quadrante huic exercitio vacaverint, ubi die placita confessi, & communicati ordinarias Indulgentiarum preces fuderint. Movet denique exemplum B. V. Matris Dei MARIÆ, quæ (ùt ipsamet B. Brigittæ revelavit) indesinenter peregrinabatur, & obibat loca, in quibus Filius suus dulcissimus passus est. MARIÆ exemplum secuti sunt sancti Apostoli, aliíque Christicolæ plurimi, præsertim sancti sacrorum Ordinum Fundatores, qui omnes in meditatione Dominicæ Passionis mirè exarserunt. Utinam eorum Spiritus in nobis vigeret! resuscitabitur saltem, si Superiores, & animarum Pastores (uti hactenus, ita & deinceps) oves suas bonô exemplô præeant, nec verecundentur sacras Stationes perambulare, quas cum ingenti verecundia erexit Deus Homo.

En, Lector Religiose! quàm te non offendere debeat libelli titulus, sed ædificare. Plures tibi subministravi praxes, ut Spiritum devotionis, haud secùs, ac lampadis animam, affusô sensim oleô, foverem. Varietas enim delectat, & consueta passim exercitia solent tepescere. Tu qualicunque hoc meo labore fruere, pro quo aliam mercedem non quæro, quàm frequens Viæ Crucis exercitium, & fructum Spiritualem exinde tibi resultantem. Nil modò restare videtur, quàm ut te alloquar illîs verbîs, quibûs S. Thomas Apostolus alios suos Coapostolos allocutus legitur Joan. 11. *Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Eamus ergo, Religiose Viator! eamus per sanctam Crucis viam ad montem Calvariæ: eamus de virtute in virtutem: eamus de vita vitiorum ad mortem criminum, ut moriamur JESU, & vita nostra abscondita sit cum Christo in Deo. Eamus in comitatu B. V. MARIÆ; & ascendamus montem Calvariæ, ut videamus, in quem transfixerunt. *Ingrediamur dein has vulnerum Domini Apothecas; ut accipiamus in illis medicinam sanativam, restaurativam, præservativam, & conservativam, & pretiosa electuaria, quæ animæ nostræ stomachum fastidientem ad Divinum gustum restituant.* S. Bonav. stim. amor. p. 1. c. 2. Eamus ergo, & procedamus in Pace.

Oratio

Oratio Præparatoria.

DOmine JESU Chriſte Filij DEI Vivi ! qui ex infinito ſalutis humanæ deſiderio ſacram Crucis viam & calcâſti primus, & tuîs Sacro-Sanctis ſignâſti veſtigijs. Ecce ! ego miſer homuncio, tuô inflammatus exemplô, & ex fervidiſſimo tibi compatiendi deſiderio, hanc ſacram Crucis viam ineo, meos paſſus cum tuis doloroſiſſimis paſſibus, meos gemitus, & ſuſpiria, cum tremendis illis tuis gemitibus, ac ſuſpirijs conjungens. O dulciſſime JESU ! ad amantiſſimæ Paſſionis tuæ memoriam dignè, & fructuosè recolendam, duriſſimum cor meum emolli, illúdque compaſſivo erga te dolore confringe, ut tibi in hac ſacra viæ Crucis devotione ſincero affectu compatiatur : Et quia ô clementiſſime Redemptor ! non vis mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat, ideo tuam ſupplex efflagito gratiam, ut omnia peccata mea (propter quæ tam acerbiſſimos cruciatus ſubire dignatus es) efficaciter deteſtari, & Te poſthac ſemper ſuper omnia diligere valeam. Ad lucrandas igitur omnes indulgentias (quas ſancta Romana Eccleſia fidelibus pia, & compaſſiva in Chriſtum patientem mente, iſtam devotionem recolentibus unquam conceſſit, quarum unam plenariam animæ meæ, reliquas verò omnes animabus in purgatorio igne detentis applicare deſidero) hanc ſacram piæ Crucis Peregrinationem ad ſolius Chriſti JESU pro me paſſi gloriam & honorem, meámque ſalutem tuâ ſanctâ adjutrice gratiâ inſtituere intendo.

PRA-

PRAXIS PRIMA.

Statio I.

Pilatus Christum Morti adjudicat.

℣. Adoramus te sanctissime Domine JEsu Christe, & benedicimus tibi!

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

OMnem Pilatus adhibuit conatum, ut JESUM, quem ex Judæorum invidia traditum noverat à morte, & se ipsum ab injustæ sententiæ pronunciatione liberaret: At verò, ne Cæsaris excideret gratiâ, dixit: *Accipite Eum vos, & secundùm legem vestram judicate.* (a)

Perpende primam tremendæ hujus tragœdiæ scenam! Tu es ille Pilatus, cui ex invidia non Judæorum, sed maledictorum dæmonum, traditus est JESUS. Et utinam! hoc in puncto Pilatus fuisses, & omnem adhibuisses conatum, ut JESUM à Morte, & te à peccato, quod est injustæ contra JESUM sententiæ pronuntiatio, immunem fecisses. Ast (O rem detestandam) dixisti dæmonibus, indomitis tuis cupiditatibus; iræ, superbiæ, gulæ &c. *Accipite Eum vos.* Acceperunt igitur JESUM, & secundùm legem suam judicarunt. Quænam est autem lex cupiditatum tuarum, & passionum? nulla præter hanc solam: *Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris: morte turpissima condemnemus eum!* (b)

Sic quidem non dixi verbô, sed opere. Hæc ego feci, & necdum puteus infernalis urget super me os suum !

O Pater æterne ! qui, ut servum redimeres, Filium tradidisti : En ! habes fatentem reum, & quidem longè peiorem pessimo Judice Pilato ; hic multùm laboravit prò salvatione Christi tui, etiamsi Ethnicus fuerit ; ego autem Christianus, & quidem Religiosus cùm sim, laboravi, ut Eum dolô tenerem, & crucifigerem, secundùm legem perversæ meæ naturæ vivendô, & post concupiscentias meas abeundô. O JESU prò me condemnate ! ad tribunal tuum procumbo : sententiam meam iniquam revoco, & annullo. Pænitet, ah pænitet, transgressorem legis tuæ fuisse ! *dixi custodire legem tuam, deprecor faciem tuam in toto corde meo : Miserere mei secundùm eloquium tuum, Amen.*

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

(a) Joan. 18. (b) Sap. 2.

Statio II.

JEsus Crucem suscipit.

℣. Adoramus, ùt suprà.

JESUS Christus Crucem gravissimam, & amarissimam omni virium annisu suscipit. Haud parcit laboribus, haud parcit sudoribus, non parcit corpori, non parcit sanguini, imò nec parcit ani-

animæ, ut Crucem ferat, eamque mihi levem, dulcem, ac portabilem faciat.

O! Qualis ego sum Crucis bajulus? non tantùm ad Crucem portandam extremas non adhibeo vires, sed ne extremô quidem digitô Crucem tango, sed omnibûs viribûs eâdem me exonerare allaboro. Exultavit Christus ut gigas ad currendam viam Crucis: ego in via perfectionis, (quæ est via Crucis) nec testudinem celeritate vinco. Ab oneribus Religiosis, ab obedientiâ magis laboriosa, velut à morsu serpentis horreo: quin etiam (quod videtur incredibile) meditationes præscriptas, psalmodias sacras, sacrificia tremenda, precesque consuetas depropero, aut omninò negligo. Quare? ut citatis passibûs curram. Quorsum? ah! non ad montem Calvariæ, non ad suscipiendam Crucem; sed ad colloquia vana, occupationes frivolas, meæ solùm tepiditati, non Deo, non superioribus arridentes. Omnis mihi mora in servitio Dei longa est, & tædiosa; in colloquijs autem, recreationibus, & carnis cura perficienda, & ejus desiderijs explendis, omnis hora brevis. O me Misellum! certùs omninò sum, quòd cor meum vanum sit, alienum ab amore Crucis, & plusquàm tepidum. Nescivi sanè, aut saltem non perpendi mecum, quod Thomas de Kemp. ait: *Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris.* Heu me! quantùm ego profeci hactenus, & proficiam posthac, qui nullam mihi vim inferre soleo?

Chriſte JESU ! quia ſpiritus quidem promptus, caro autem infirma eſt, & propterea graviſſimam tuam Crucem portare nequeo ; hinc amore tui inflam̃atus ſaltem poſthac portare ſatagam levem ſtatutorum Religioſorum Crucem. Obſervabo omnia exactè : ad tremendum Miſſæ ſacrificium celebrandum, & Communionem Sacroſanctam, devotius me accingam : ſacras meditationes, & examina particularia ſolertiùs faciam : penſo Canonico, & devotionalibus precibus non tantùm vocem, ſed & ſenſus ex - & internos accomodabo. Ah ! tremendas meas negligentias clementer dimitte, fervorem infunde, & verum Crucis amorem benignus indulge, &, ut paucula illa, quæ te inſpirante propoſui, conſtanter exequar amore tui, inclina cor meum ad cuſtodiendas juſtificationes tuas, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe : miſerere mei.

Statio III.

JEſus primò ſub Cruce corruit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CHriſtus intolerabili Crucis pendere depreſſus in terram pronus labitur cum riſu dæmonum, jocô lictorum, gaudio hoſtium, plauſu Judæorum.

Cadit profectò, ut ſtare diſcas Religioſe, vel potiùs cadere ad pedes JESU, deprecari omnem offenſam, calcare tuum faſtum, & nimiam honoris proprij ambitionem. Non ſurget JESUS

niſi

niſi ipſum à terra allevaveris per verum humilitatis ſtudium, per ſtrenuum cum vitijs, & paſſionibus certamen. Nôſti anima mea ? quamdiu jam jacet in terra pronus Salvator tuus ? Si neſcis, dicam : Tamdiu, quamdiu tua mens repit humi, affixa vanitatibus, nauſeans Crucem, contemptus, & mortificationes. Edic : ſi conveniens eſt, JESUM in corpore ſuo extrema quæque perpeti, & te corpori tuo blandiri : Deum humiliari, & te ſuperbire : Judicem & Salvatorem tuum ad tuos pedes proſterni, & à te Reo pedibûs conculcari ? Hæc pondera, & meditare, ut diſcas humiliari ſub potenti manu Dei, immoderatum honoris proprij deſiderium refrænare, & ſuperioribus, eorúmque diſpoſitionibus, ùt ùt tibi contrarijs, humiliter te ſubdere, & acquieſcere. Anne grave tibi accidat, ſuperioribus amore JESU ſubdi, ſi áſpicias JESUM, non tantùm Patri Divino, ſed & hominibus, & quidem carnificibus, ac lictoribus, quorum vel nomina exoſa ſunt, amore tui ſtupenda humiliatione ſubjectum ?

Exurge Domine, adjuva me, ut, quemadmodum te Crucis pondus ad terram, & ad pedes meos dejecit ; ita pondus amoris, & ſtupendi exempli tui, me totaliter ſacroſanctæ Cruci tuæ, & pedibus ſuperiorum meorum perfectè ſubjiciat. Exurge in adjutorium mihi, ut memetipſo fortior voluntatem meam cum tua, & propter te cum voluntate ſuperiorum meorum perfecte conformem. Rideant me alij, plaudant inimici, ringatur ſuperbum corpus, non curabo : Mihi enim au-

hærere pedibus tuis cum Magdalena bonum est. Fiat !

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei

Statio IV.

Christus cum Cruce obviat Matri.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

JESUS Cruce onustus, ingenti catenarum pondere gravatus, ab infami carnificum, lictorúmque plebe, inaudita crudelitate ad extremum rapitatur supplicium. Fugêre amici, & Discipuli omnes; sola non fugit mater JESU Maria, quæ, cùm ineffabili Filium prosequeretur amore, retardari nullâ militum, armorúmve vî potuit, quin timore neglecto irrueret, ultimum Filio suo dictura vale.

Hæc sancti amoris virtus est, & propietas, ut superet omnia, & superetur â nullo. Quis jam tibi sensus, O Religiosa anima! Nunquid si tunc temporis huic spectaculo fuisses præsens, & JESUM fide supernaturali cognovisses, exemplô Matris amantissimæ inflammata hastas, & enses militúmque, ac carnificum turbas penetrâsses, amplexu Divini Amoris fruitura? Arma, ferocésque milites sunt irrefrænatæ tuæ passiones, & indomitæ cupiditates, quæ te ab amplexu, & ab amore JESU removent. Has igitur generosus athleta perrumpe: JESUM in via Crucis comitare, & strenuè sequere. Ecquænám causa est, quòd

Mariam

Mariam Dei Matrem non imitatus, fugeris cum Discipulis, viam Crucis raro, aut nunquam obieris, & visitaveris? nunquid erubescebas ab una statione ad aliam repere? timebas, nè ab alijs ludibrio habereris, noménve devotæ Mulierculæ ex tua devotione reportares? Ecce erubescentia illa, timor ille, respectus ille humanus, omni milite fortius te arcet à sequela Christi, qui, cùm in forma Dei esset, non erubuit viam Crucis ambulare manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum.

O JESU! quàm perversus homo sum ego, quàm superbus, & elatus! Tu Rex meus, tu Deus meus, non erubescis pro me flagellari, condemnari, confundi, pati, & mori: & ego erubesco in grata tuæ Passionis memoria, & ejusdem viæ Crucis visitatione! O JESU! O Amor! non erubescam posthac: viam Crucis frequenter visitabo: dicant homines perversi, quidquid velint, non erubescam te in hac vita, nè erubescas me in altera. Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio V.

Simon Cyrenensis cogitur portare Crucem post JESUM.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

TAntum fuit Crucis pondus, ut JESUS totus debilitatus illam solus portare ampliùs non

 vale-

valeret. At verò ex amicis nemo, ex gente Judæorum nullus inveniri poterat, qui eam charitatem laſſato Dei Filio impenderet. Coëgerunt igitur milites hominem alienigenam fortè transeuntem, & extremè reluctatum, ut Crucem poſt JESUM tolleret.

Homo ille alienigena fui ego, dum adhuc ſæcularis, & mundanus, ſedebam in Ægypto ad ollas carnium, ea, quæ Dei fuerant, parùm curans, Crucem cane pejus, & angue fugiens, & ſolummodò poſt concupiſcentias meas abiens. Quod verò quâ homo ſæcularis, & quaſi alienigena, Crucem horruerim, non adeò mirum videtur; nunc autem per gratiam Dei prævenientem, excitantem, & vocantem, ad ſtatum Religioſum, Clericalem & Sacerdotalem delatus, & inter commenſales, & amicos Dei connumeratus, quòd Crucem poſt Jeſum ferre, quaſi alienigena recuſem, hoc mirandum non tantùm, ſed & ſummè dolendum eſt. Eſt ſtatus Religioſus vera Crucis via, in qua invitat me JESUS ad humilem Crucis ſequelam, monétque, ut ſi non ſuam graviſſimam, ſaltem levem illam Religioſæ diſciplinæ Crucem [illegible]am, ſilentij leges, ſtatutas Pſalmodias, vigilias, humiliationes, paupertatis incommoda, jejunia, aliaque præcepta, & conſtitutiones monaſticas, amore ipſius exactè obſervem, ſacras meditationes, & recollectiones, & examina non negligam &c. Ego autem ùt ſurdus petranſiî, & ſicut homo non audiens: ego in via Crucis meas quæro commoditates, & roſas extra ſpinetum.

O JE-

O JESU ! tu amâſti me, vocâſti me, invitâſti me, non ad graviſſimam tuam Crucem ferendam, ſed ad levem regulæ, & ſtatutorum obſervantiam : ego verò nec levem ferre volui Crucem hactenus, impoſterum autem Divina tua opitulante gratia parvula illa, & paucula Religioſæ obſervantiæ incommoda, amore tui libens, lubens feram. Conforta me Deus meus !

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

Statio VI.

Veronica porrigit JESU ſudarium.

℣. Adoramus te, ut ſuprà.

DEvotiſſima matrona Veronica, Chriſti faciè, quæ ſputîs, ſanguine, lutô, pulvere, vulneribûs, & plagis horrendum in modum erat deformata, paulò attentiùs inſpectâ, tanta fuit commiſeratione commota, ut ſancto impetu acta per milites, & carnifices irruens, velum capiti ſuo detractum, JESU porrexerit, quo faciei ſacroſanctæ injurioſas maculas detergeret.

Hæc nimirum eſt Paſſionis Dominicæ prærogativa, ut facies Chriſti in via Crucis conſiderari non poſſit abſque pijs motibus, commiſerationis affectibus, & amoris incentivis. Reſpexerunt Iſraëlitæ in ſerpentem æneum, & à veneno ſunt ſanati : reſpexit Claudus ille in faciem Petri, & conſolidatæ ſunt baſes ejus. Reſpice O Religioſe, O Sacerdos ! reſpice in faciem Chriſti tui per

frequentem viæ Crucis viſitationem, & ſanaberis à veneno tepidæ, & irreguloſæ converſationis, & conſolidaberis in virtutibus; modò Veronicam imiteris, quæ non tantum in Divinam reſpexit faciem; nec contenta fuit pio commiſerationis affectu; ſed ſuccurrere effectivè decrevit: velum capiti ſuo detraxit, per turbam, & milites penetravit, & ſordes à Dominica abſterſit facie. Hæc igitur tria in Veronica imitanda propone. 1. Quòd frequenter, & ferventer viam Crucis viſitare velis, in eáque paſſionem Domini grata mente recolere. 2. Quòd pias inſpirationes in effectum deducere velis, ut hac ratione Divinam recrees faciem. 3. Quòd bona propoſita hic concepta annotare, de die bis relegere, & occaſſionem executionis quærere velis; & hoc ideo tantùm, quia JESUM pro te paſſum & amare, & imitari deſideras.

Domine Deus, pro me paſſe! aliud à me non exigis nec aliud tibi offerre poſſum velum, quàm compaſſivæ viſitationis illius viæ, quam Crucem tibi bajulans ambulâſti. Ex nunc firmiſſimè propono, te in viſitatione ſacræ viæ Crucis frequentiùs contemplari, contemplandô condolere, condolendô, quæ tibi ſunt placita, & mihi inſpirata, cruciformi ſpiritu operari. Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(†)

Statio

Statio VII.

Secundò JEſus ſub Cruce labitur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

PRima vice JESUS ex nativo Crucis graviſſimæ pondere debilitatus, & depreſſus in terram corruit; aſt hac vice Judæorum, militum, carnificúmque immiti rabie, tunſionibus, tractionibus, percuſſionibûs, ac inhumana ferocitate denuò proſternitur.

Ah mi JESU! ſcio, quare cauſas lapſuum tuorum ità diſpoſueris. Ego enim primitùs ex fragilitate humanæ carnis, quam pro me aſſumere dignatus es, in terram peccati colliſus ſum, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non fuit mecum. Aſt ubi tu altiſſimi virtus Dei meam imbecillitatem tua infirmitate curâſti, & vires ad tibi ferventiùs ſerviendum duplicâſti, tunc ego (horrendum dictu!) ego inquam, perduellis, & rebellis, omni carnifice immanior, vires meas ad frequentiorem tuæ Majeſtatis offenſionem adhibui, & plùs quàm diabolica crudelitate in terram dejeci. O tremendum ſpectaculum! ad meos proſtratus pedes jacet Dei Filius, meum exſpectans furorem; imò meam expertus impietatem. Pedibûs eum tundo meæ ſuperbiæ, qua ſubeſſe recuſo, præeſſe deſidero. Pugnîs eum meæ iracundiæ, ac vindicativi animi percutio. Catenis ferreîs cædo miſerum carnis mancipium. Omni denique injuriarum genere in JEſum debacchor, qui carnis commoditatibus eò

uſque

usque inbio, ut mortificationis, debitæque castigationis oblitus effundar super ollas carnium, potens ad bibendum vinum, lusus, recreationes, extravagantias, sæculares conversationes, & omnis generis vanitates.

O JESU! hæc ego feci, & tacuisti. A modò verâ ductus pœnitentiâ tuis Divinis advolvor pedibus, quosque lacrymis contriti animi irrigo, humillimè rogans, ut effundas super me spiritum Religiosæ mortificationis, & salutaris in me ipsum odij. Da gratiam, ut posthac mihimetipsi non parcam, qui tibi non peperci.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio VIII.

Pia Mulierum turba JEsum deplorat.

℣. Adoramus te, ut suprà.

DEvotæ JESUM in crucis itinere plangunt mulieres; at ipse ad eas conversus ait: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros, quia, si in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* (c)

Filia Jerusalem est anima fidelis, lignum viride est Christus Dominus, qui fructum dedit in tempore suo, fructum boni exempli, Doctrinæ Evangelicæ, fructum Passionis, fructum sanguinis, fructum vitæ & mortis. Ast ego sum aridus remissus, dissolutus, tepidus, & absque succo. Quid ergò fiet de me? profectò nihil aliud quàm

quod

quod fit cùm ligno arido : excidetur, & in ignem mittetur, ardebitque ſemper, ceſſabit nunquam. O verba, quovis fulmine penetrantiora!! quid igitur conſilij? Audi: Æterna Veritas conſiliarium agit: *Super vos ipſas flete*, ajt mulieribus, & ſuper filios veſtros, id eſt, negligentias veſtras, turpiditates, diſſolutiones, & peccata; malum enim ovum, malus partus ſunt mea delicta. Atqui durus eſt hic ſermo; malim ego ex pumice rivum, quàm ex indurato corde meo lacrymulam elicere. Sed nè deſpera! illæ etiam mulieres, nî fallor, raro fleverint, donec JEſum in tormentis, & in via Crucis viderunt: hoc in ſpectaculo cordis durities emollita, & petræ diſruptæ ſunt. Percuſſit Moyſes petram, & dedita quas. Tu petram, quæ Chriſtus eſt, tantummodò aſpice, & fluent aquæ ex oculis tuis. Eſto ſedulus in Paſſione Domini meditanda, dimidiam horulam, quam vanô aliàs conſummeres colloquiô, luſu, dormitatione &c. Chriſto paſſo dona, & experieris, quod hactenus expertus non es.

Domine JESU Chriſte! convictus ſum totus; ideò cor meum conglaciatum eſt, quia te non acceſſi, qui veniſti ignem mittere in terram. Agnoſco, quòd, ſi tuæ tremendæ Paſſioni unum ſuſpirium, unum, alterúmve quadrantem non condonavero, curæ carnis autem integros dies, & annos dedero, aridus ſim, & ad combuſtionem æternam aptus. Da, ut in meditatione tuæ Paſſionis exardeſcat ignis, ſolvatur glacies cordis,

fleam

fleam ſuper me, & ſecurè veniam ad te, Amen. Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(c) *Luc.* 23.

Statio IX.

JEſus tertiò ſub Cruce proſternitur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

AD pedem montis Calvariæ Dei virtus, tertiò viribûs deſtituta horribili lapſu fatiſcit, & Cruci ſucumbit. Doloroſiſſimus omnium erat hic lapſus; quia frequentiore corporis, artuúmque colliſione vulnera renovabantur, ſacroſanctum Caput ſpinis de novo cruentabatur, Humeríque Divini hiulco diducebantur vulnere.

Quis putas, Religioſa anima! ter repetiti lapſûs cauſavit dolores? quis ſacros colliſit artus, renovavit vulnera, mille puncturas ſuperinduxit capiti, humeróſque perforavit? quis? Peccator dices, inveteratus, habituatus, conſuetudinarius. Benè dixiſti; ſed ex ore tuo te judicas. Tu tu es ille vir, tu es ille Carnifex, Deicida, inveteratus malorum, & (quod dolendum!) habituatus peccator, & conſuetudinarins. Conſcientiam tuam convenio. Quoties per vulnera JESU in S. Pœnitentiæ Sacramento à vulneribus animæ tuæ ſanatus es? & quoties non nova vulnera in anima tua JESU Chriſto inflixiſti? Quoties per corpus Chriſti Euchariſticum erectus es?

&

& quoties non idem corpus in terram dejecisti, dum nulla emendatione secuta priores reatus incurristi, & iisdem semper gravatus erroribus S. Pœnitentiæ Sacramentô abuteris. Emendationem promittis; sed promissum non servas, meliorationem vitæ proponis, sed propositum non exequeris. Hinc ad repetitos lapsus JEsum urges; te enim infirmato infirmatur, te labente labitur, te impellente corruit.

O JESU Fili David miserere mei! malitiosam meam crudelitatem, per repetita peccata, & emendationis procrastinationem, in te exercitam, humili, & contrito corde detestor, abominor, execror; & ex nunc firmiùs, quàm nunquàm ante hac, emendationem propono, leves etiam defectus velut zizania extirpabo, nec te ampliùs in terram projiciam, *nè projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum nè auferas à me.* (d)

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(d) *Psalm.* 50.

Statio X.

JEsus exuitur vestibûs.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

POstquam haustum vinarium, extremum ultimô suppliciô plectendi confortamentum, impij negaverant Judæi Christo, tunicâ inconsutilî eum rabidâ violentiâ spoliant.

Adeò

Adeò nullam habet terrenam refocillationem moriens Deus, ut etiam graviſſimam paſſus ſitim felle potetur, & acetô. Tu verò hujus immemor crudelitatis, corpus tuum turpiſſimum, & flagitioſſimum, vinô optimô, & abundantiſſimô oppl es, totúsque es in compotationibus, & ebrietatibus, ac in evacuandis poculis. Gloriaris præterea, quòd potens ſis ad bibendum vinum, & alios inebriandos. Quid igitur mirum, ſi violenti rabie JESUM veſtibûs exſpolias? Nimirum, ubi incaluiſti merô, in cubilibus, & impudicitijs voluntaris. Propriam tuam convenito conſcientiam, quandonam acriores expertus es impudicitiæ ſtimulos? quandonam tepidiùs reſtitiſti? quandonam frequentius (quod Deus avertat) lapſus es, aut parùm abfuit, quin labereris, quàm ubi vinô madens Baccho cognatam expertus es Venerem. Diſce igitur ſobrietatem, ut poſſideas caſtitatem, nè duplici vitiô JESUM & amaritudine & opprobriîs repleas.

Domine JESU Chriſte! propter reverentiam diriſſimæ illius ſitis, qua ſalutis meæ causâ moriens diſcruciabaris, firmiſſimum concepi propoſitum, ab omni exceſſu in potu guloſitatem meam coërcendi, & unà cum ea maledictos carnis petulcæ inſultus ſupprimendi: Confundor Domine, ah confundor memor turpitudinum, & flagitiorum meorum! abſit à me deinceps tantum nefas! nè te denuo confundam, & tu me cum turpibus carnis mancipijs confundas in æternum. Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XI.

Christus Cruci affigitur.

℣. Adoramus te ſanctiſſime Domine JEſu Chriſte, & benedicimus tibi!

℟. Quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

IMmani JESUS crudelitate cruci affigebatur. Ut enim livida Judæorum inſania gravius fureret, groſsîs, trabalibûs, ac truncatîs clavîs, tenerrimam penetraturi carnem, ictus geminavêre ictibûs, & dolores immenſos, immanioribûs accumulabant doloribûs. Interea omnia diduci membra, dinumerari oſſa, ſolutæ compages artuum, venarum, nervorúmque perforari ſubſtantia, livere caro, & ſanguineis tumere notîs cœpit: Donec tandem in humano labore fracta quievit carnificis manus. Vah Sacrilegum facinus! tremendum Spectaculum!

Et hoc facimus, hoc Spectaculum toties ego innovavi, aut innovo, quoties Mortali flagitiô Majeſtatem Divinam offendi; Scriptum eſt enim, quod peccatores ſibimetipſis crucifigant Filium DEI. At verò quid in me peccavit, aut quid mihi mali fecit innocens JEſus, quod tanto furore plecti mereretur? Nihil profectò mali, ſed omnia benè fecit. Ergo ſaltem poſthac, licèt ſerò, declinare à malo, & facere bonum ſtude, ac ità deprecare:

O Amor Crucifixe! per illos ineffabiles te rogo dolores, quos in doloroſiſſima illa crucifixion(e)

pro me, & à me ſuſtinuiſti: Peccata mea innumera, mortalia præſertim, quibûs te denuo in crucem egi, clementer dimitte. Parce Domine! ah parce ſupplicanti! deinceps cum tua gratia clavos illos, furorem illum, & barbariem à te avertam, & convertam in memetipſum, ut jam nihil, quod caro blanditur, libeat, & nihil, quod carnalem vitam trucidat, ſpiritus perhorreſcat, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statiò XII.

Chriſtus in Cruce Moritur.

℣. Adoramus, ùt ſuprà.

CHriſtus Dominus, ut totum ſe expendat pro me, vitam in Cruce per mortem contumelioſiſſimam, & poenoſiſſimam, immolat.

Video ô Domine quod in Cruce totum te expenderis pro me. Nunc dubius hæreo, an cum S. Patre meo Franciſco exclamare debeam: *Deus meus, & omnia!* an verò cum Propheta: *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exſpectabo eum?* Ad hoc dubium tuus reſpondet Præco, te prius *Partem* vocari debere, quàm *Omnia*, dicens: (*f*) *adimplebo ea, quæ deſunt Paſſionum Chriſti in carne mea:* Nimirum de meo addendum eſt aliquid, ut toto gaudere poſſim Deo. Ah! quanta, mi Domine, per me Paſſionibus tuis deſunt? Ego enim in carne mea nihil Paſſionum tuarum addimpleo.

Oculîs

Oculîs ſum vagus, etiam nunc, cum Divina operor. Linguâ incautus, & deditus multiloquio, in quo non deeſt peccatum. Aures exporrigo, non ad audiendas divinas tuas inſpirationes, ſed ad frivola, curioſa, novellas, vanitates, & jocos. Nares varijs odoramentîs, aut, neſcio, quo pulvere, intemperanter oppleo. Guſtûs delicias gulosâ cibi, potúſque lautitiâ, & exceſſivâ copiâ, bruti ad inſtar inſector: tactúsque mollitiem, & indomitum cunctorum pruritum ſenſuum nullîs caſtigationibûs, nullîs mortificationum Religioſarum fræníîs cohibeo. Ah miſerum me!

Poſthac, O Domine! tuô fretus auxiliô adimplebo me ipſo fortior, quæ adhuc per me deſunt Paſſionum Chriſti, in carne mea. Eſto tantùm *pars mea DEUS*, in hac vita, ut in altera poſſim dicere: *DEUS meus, & omnia.* Virtus divini amoris tui, dilecte mi JESU! ſenſus meos, & me totum tibi incorporet, ac intimè uniat, ut verè queam uſurpare illud: (g) *Dominus pars hæretatis meæ, & calicis mei: tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.*

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(e) *Thren.* 3. 24. (f) *ad Coloſ.* 1. (g) *Pſal.* 5.

Statio XIII.

Christus de Cruce deponitur ad sinum Matris.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

POstquam emisit spiritum in Cruce Salvator, petijt corpus Ejus à Pilato Joseph Arimathæus, qui & illud de Cruce depositum in sinu Matris dolorosissimæ reclinavit.

Vidisti in priore statione, O anima Religiosa! qua ratione extremum duxerit spiritum Salvator; non autem vidisti Ejus vulnera, impeditus tenebrîs, quæ factæ sunt super universam terram. Accede jam propiùs! contemplare exangue Domini tui corpus, & numera vulnera, si potes. Attende interim, an non tibi, sicut olim devotæ cuidam animæ, Deus tuus loquatur ad cor in hunc modum: Dilecte fili! quid circa numerum vulnerum meorum occuparis? Vis nôsse, quot tui causâ perpessus sim vulnera? Tot, quot tu in me commisisti crimina; quoniam secundum multitudinem peccatorum tuorum multiplicata sunt vulnera, & dolores mei. Numerato jam mea vulnera, si tua numerare potes scelera. Si verò numerandô deficias, saltem à planctu non defice? sed cum dolorosissima Matre Passionem, vulnera, Mortémque DEI tui deplora, & percutiens pectus tuum dic:

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere mei, & propitius esto mihi peccatori! Nunc intelligo Domine, prophetiam illam, secundùm quam quærebant animam tuam. Quærebant

pec-

peccatores, quorum ego primus ſum, animam tuam in capite; ideo mille punctûrîs foderunt illud. Quærebant animam tuam in corpore; ideo flagellîs ſupra dorſum tuum fabricaverunt. Quærebant in manibus, pedibúsque; ideo illos clavîs horrendîs perforaverunt. Quærebant denique in pectore; & ideo lanceâ aperuerunt latus tuum. O Chriſte JESU! pro eo, quòd ego inſidiatus ſim animæ tuæ, tu quære animam meam, crucifige animam meam, mortifica animam meam, ut vivam ego, jam non ego, vivas verô tu in me, & ego mihimetipſi mortuus. Tibi vivam ſoli.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XIV.

Corpus Chriſti ſepelitur.

℣. Adoramus te, ut ſuprà.

CORpus JESU requieſcere voluit in ſepulchro novo, mundiſſimo, puríſque involvi linteaminibus, & pretiosîs condiri aromatibûs.

Cor meum novum non eſt, nec purum; & tamen JEſus quotidie in eo deponi & reclinari dignatur. Aſt hoc ipſum dolendum eſt, quòd cor Sacerdotis tam ſpurcum ſit & fœdum. DEUS ultionum Dominus ſeverè hanc incuriam, & injuriam vindicabit. Si Rex, aut Princeps terreſtris, venationis fervore longiûs à Palatio ſuo abductus, & nocte ingruente præoccupatus fue-

rit, vile non dedignatur intrare tugurium, modò omnino impurum, & fœculentum non fuerit, etſi non careat ſordibûs. Aſt domum ſuam Regiam reverſus in ſuo cubili, in quo continuò morari conſuevit, non tantùm ſordes non patitur, ſed & præter omnimodam munditiem aulæa requirit ſplendida, tapetéſque pretioſos. En! Imperator ſummus, Rex Cœli, & terræ, animas venaturus de cœlo deſcendit, & mediantibûs ſpeciebûs Evacchariſticîs habitare dignatur in cordibus hominum ſæcularium; nec tale habitaculum deſpicit, modò decenter purum ſit à groſſioribus peccati mortalis ſordibus. At verò cor Sacerdotis eſt domus Regia, Palatium illud Imperiale, in quo quotidie habitare ſolet Rex Regum, & Dominus Dominantium: Nunquid deſiderat in eo ſplendorem, cultum, & apparatum ſua Majeſtate dignum? Omnino. Siqúe immundum quidpiam, aut ſordidum invenerit in domo ſua Rex, graviſſima Palatij Præfecto imminet pœna, & indignatio. Si cor tuum ſepulchrum eſt Dei, ſi Palatium Regis æterni, tu profectò Palatij Præfectus, & ſepulchri cuſtos es. Diſcute jam conſcientiam tuam, quantum curæ impenderis ad digne hoſpitandum Deum tuum? an omnia munda fuerint ſemper, & adhuc?

Tu Domine! qui corda nôſti omnium, tu ſcis inſipientiam meam, & negligentiam, ſqualorem, & immunditiem cordis mei. Ego ad te dignè recipiendum non tantùm nullos ſtravi virtutum tapetes, mortificationis, & devotæ præpar-

parationis aulæa ; ſed & temetipſum in ſordes projeci, indignè habui, luridè tractavi. Ah! rogo te, dele iniquitatem hanc maximam : cor mundum crea in me Deus, & Spiritum Rectum innova in viſceribus meis, ut poſthac dignius reclinatorium inveniat corpus tuum in corde meo, libentiùs in eo, ac honorificentiùs requieſcat, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

Statio XV.

S. Helena Inventrix Crucis.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CRux Chriſti eſt clavis Cœli. Neque enim aliâ clavî uſus eſt Chriſtus ad Cœlum reſerandum, quàm lignô Crucis. Novit hoc B. Helena ; & ídeo tam operosè Crucem quæſivit.

Innata hæc homini cura eſt, ut clavem theſaurorum ſuorum, aliarumve rerum, quibus præ cæteris affectus eſt, anxiè cuſtodiat, & continuò ſecum portet. Si verò hæc clavis perdatur : quantâ non quæritur curâ, & ſtudiô ? En ! *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito :* (b) Hujus clavis eſt Crux Chriſti. Eruere hunc theſaurum non potes, nisî hanc clavem applices : hâc perditâ miſer es, & pauper. Non projice, ſed arripe hanc clavem, eámque nunquam à te dimitte.

O Crux Sacratiſſima ! claviſque regni cœleſtis pretioſiſſima ! tu quidem hactenus odio mihi

 fuiſti,

fuisti, & horrori : post hæc autem eris gaudio, & consolationi. Ah ! ne dimitte me, ne dimittam te, & à regno cœlorum excludar æternus Crucis inimicus.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

(b) *Matth. 13.*

Oblationem vide post stationem ultimam praxis vigesimæ.

PRAXIS ALTERA.

Statio I.

Mortis sententia fertur in JEsum.

℣. Adoramus te Sanctissime Domine JESU Christe, & benedicimus tibi,

℟. Quia per Sanctam Crucem tuam redemisti Mundum.

INiquus Judex Pilatus Mortis sententiam contra JESUM pronuntiat, qui demisso capite, vinctîs manibûs, humili gestu, eam suscipit ; non contradicit, non sese, cùm posset, opponit, non murmurat, non appellat ; quia eam sententiam respectu hominis Judicis quidem injustam, ast quà ab æterno Patre latam ùt justissimam reveretur.

Tu, O Religiose ! non ad mortem (quam quidem meritus esses) sed solùm ad aliquam crucem

cem ferendam condemnatus es : ſed quâm tepide, quàm remiſsè, quàm indignanter eam fers? Infirmus es, lecto affixus hæres, perſecutionem pateris, ob hanc, vel illam cauſam ab alijs contemneris vilipenſus? Recogita, quòd ad hanc Crucem, ad hanc ipſiſſimam infirmitatem, ad lectum, ad dolores, ad perſecutionem, & contemptum, condemnatus ſis, non ab homine iniquo, non à tyranno; ſed à Deo tuo, à Patre amantiſſimo, à Judice æquiſſimo, quia *non eſt malum in civitate, quod non fecit Dominus.* (a) Ergo æquanimiter fer crucem, & ſuſtine, de impatientia tua dole, & dic.

Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum! Juſta eſt tua Sententia, qua hoc genus tribulationum mihi decreviſti: juſta eſt, & millies ego hanc crucem, & infinities peiorem merui propter flagitia mea. Da igitur gratiam, ut eam patienter de manu tua ſuſcipiam, & cum gratiarum actione portem uſque in finem à te præfixum.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(a) *Amos* 3. 6.

Statio II.

Chriſtus ad Crucem, & mortem ducitur.

℣. Adoramus te, ut ſuprà.

JESUS pronuntiatâ mortis Sententiâ, lictorum immani rapitur rabie, & vî ducitur, ſeu potiùs

trahitur ad locum, ubi crux jacuerat, & ab hinc ad montem Calvariæ.

Prædixit quondum Salvator B. Petro Apostolo, fore, ut ipse, qui, cùm esset junior, cingebat se, & ambulabat, quo volebat, senior factus, præcingendus sit ab alio, & ducendus, quò non voluerit. Tibi, O Religiose! hoc dictum existima, qui, cùm esses junior in servitio Dei, sugens lac sæcularium vanitatum, præcingebas te, & ibas, quò volebas, ubi erat impetus concupiscentiæ, illud gradiebaris. At ubi per ingressum Ordinis Religiosi quasi senuisti, & ad servitium Dei maturuisti, jam alius præcingit te, & ducit, quò tu non vis. Quis est ille alius? ne quære! Superior tuus est, qui te chorda, & sacro præcingit habitu. Ille te ducit, quò tu non vis secundùm hominem inferiorem, & passiones indomitas. Hoc autem ut æquanimiùs feras, aspice in Authorem fidei, & Consummatorem JESUM, qui à Judæis ductus ad lanienam, ad mortem turpissimam, quam tota horrebat Natura humana, secutus est ducentes promptus.

O JESU Christe, veræ humilitatis & exemplar, & præmium! ego a superioribus meis duci desidero, quò volo; si aliorsum me ducant, nolo, obstrepo, obmurmuro, & summopere indignor. Sed sic ego te non sequor: sic ego voluntatem meam per votum obedientiæ non abnegavi: sic ego Religiosus non sum: aut Sacrilega temeritate, quod tibi à me dicatum est,

mihi

mihi uſurpo. Maledicta ſit propria mea voluntas! non mea, ſed Dei, ſed ſuperiorum voluntas fiat: Domini ſunt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciant. Ceſſet propria voluntas, clamat S. Aug. & infernus non erit: ceſſet & mea voluntas, & non erit contradictio foris; nec turbatio intus in anima mea.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio III.

Primus ſub Cruce lapſus.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

JESUS, Divinus ille Sol, defectu virium primò deficit. O Eclipſin tremendam! Et tamen hoc caſu nil commoti exultant Judæi, tripudiant carnifices, propellunt verberibûs milites, & novîs tormentîs affligunt afflictiſſimum.

Ità ſanè fieri amat: Ordinariæ Crucis pediſſequæ ſunt exultatio inimicorum, fuga amicorum, contemptus, & irriſiones, opprobria, ſubſannationes, & temeraria hominum judicia. Hæc affligunt afflictum, & vix non in terram puſillanimitatis, & impatientiæ, proſternunt. Et quis in re tam deſperata præſtabit juvamen?

Ille ſolus, qui infirmitates noſtras ſuſcepit. Hunc adjutorem expertus Propheta Regius exclamat: *(b) Dominus mihi adjutor: non timebo, quid faciat mihi homo (c) Niſi quia Dominus erat in nobis cùm exurgerent homines in nos, fortè vivos degluti*ſ-*ſent*

ſent nos: cùm iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos. Verumtamen adjutorium noſtrum in nomine (in Paſſione) *Domini:* Niſi torrentem hunc pertranſiſſet anima noſtra; forſitan pertranſiſſet aquam intolerabilem. *Benedictus Dominus! qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.*

O Miſeri mortales! ùt quid ſtipulam ſiccam perſequimini? Quid exiſtis, quid irridere, quid contemnere? Nunquid arundinem ventô agitatam? Igitur ridete, illudite, cachinnamini, perſequimini me, per me licet; & ego in Domino ſperans non infirmabor, rideo ſarcaſmos veſtros; & non movebor à generatione hac in æternum. Hæc ſolum ſcitote: Dominus Deus Auxiliator meus; & ideo non ſum confuſus.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*b*) *Pſal.* 117. (*c*) *Pſal.* 123.

Statio IV.

Chriſtus cum Cruce obviat Matri doloroſiſſimæ.

℣. **Adoramus te, ùt ſuprà.**

OCcurrit JESUS Matri afflictiſſimæ cum Cruce, extremum ei dicturus vale, & ſuorum dolorum participem facturus.

O Anima mea! toties, crede, JESUS tibi occurrit cum cruce, quoties tibi mittit aliquam tribula-

bula-

bulationem, aut patiendi occaſionem, aut internam voluntariæ cujusdam caſtigationis inſpirationem. In his circumſtantijs non dicit tibi vale, ſed Ave. Quare? quia Crux, quàm Deus tibi immittit, ſignum eſt, quòd non à te recedere, ſed ad te accedere, quòd non te deſerere, ſed apud te hoſpitari deſideret. Aſt (prô dolor) quoties valedictionem JESU præ ſalutatione exoptâſti, deſiderâſti? Revera impium eſt hoc deſiderium; quæſiviſti enim maledictionem, & veniet tibi: noluiſti benedictionem, & elongabitur à te tantúm, quantùm crucem ferre dedignaris. Deinceps emenda te, & quoties ſe crucis, ac paſſionis occaſio obtulerit, cum ferv idiſſimo Crucis amatore Andrea exclame:

Salve bona Crux! aut cum alijs: Salve flagellum Dei! quid? ego quotidie Dominum meum deprecer: *Fiat voluntas tua;* & cùm ipſe voluerit mihi ſubmittere levem aliquam adverſitatem, ſacrilegè exclamem: *Fiat voluntas mea.*

O Domine! tua ſanctiſſima voluntas fiat. Veni ad me cum Cruce, & ego illam de tuis innocentiſſimis humeris ad meos devolvam, ac transferam. Fiat voluntas tua! veniat Crux! veniat tribulatio! occurrat mihi JESUS cum Cruce! gaudenter eam ſuſcipiam de manu, de humeris Domini. Ringatur amor proprius, horreat caro, non curo. Domine da crucem! da crucis deſiderium! da crucis amorem, & humilem crucis patientiam. Hoc mihi impetra, ô Maria! hoc mihi da ô JESU! Amen. Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio V.

Homo Aljenigena cogitur ferre Crucem post JEsum.

℣. Adoramus te, ut ſuprà.

QUia JESUS Crucem graviſſimam ex defectu virium portare ſolus non valebat amplius, idcirco omnem in partem ſacros gyrabat oculos, ut illìs pectus alicujus hominis emolliret, & ad Crucem poſt ſe portandam commoveret. Sed nullus omnium miſertus eſt Dei ſui. Debuit itaque homo alienigena cogi, ut id obſequii morienti Domino vel invitus præſtaret.

O ſpectaculum extremè miſerandum! Ille, ad quem miſeri clamant homines: *Miſerere mei Deus*, ille, inquam, Deus deploranda ſorte miſeros inclamat Adæ poſteros: *Miſerere mei homo.*

O JESU! O DEus! O Amor! ferreum meum hæc vox diſrupit pectus; colliqueſco, & quia præ intima compaſſione verba proferre non poſſum, in lacrymas abeo. - - - - - Quid? *Miſerere mei*, ais? Egóne miſerear tui? homo, Dei? reus, Judicis? Eheu! canis mortuus miſereatur Domini ſui? O Domine! ſi dixiſſes: *Miſerere tui homo*, tolerabile mihi fuiſſet adhuc: aſt cùm modò miſerabili, & cordifraga, ac ſemi-mortua voce me inclamas: *Miſerere mei homo*, cor meum conturbatum eſt, & contabuit intra me, & aliud nil poſſum, quàm ſingultire, lacrymari, & præ commiſerationis vehomentia colliqueſcere. Et ô Deus infinities dilectiſſime! an non miſerear tui, à prava mortaliter delinquendi con-

ſue-

ſuetudine deſiſtendô ? an non miſerear tui, peccata mea doloroſè confitendô ? an non miſerear tui, illam tribulationem, quaſi Crucem tuam, patienter, & humiliter ſuſcipiendô ? viam Crucis ſæpius devotè obeundô, & propter te quotidie meæ rebelli, & impijſſimæ carni, aliquam mortificationem imperandô ? Miſeret me tui, & meam compaſſionem oſtenſurus prætactâ faciam, pœnitentiâ ductus meæ in te exercitæ crudelitatis. Pœnitet ! Ah *miſerere mei Deus!*

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

Statio VI.

Veronica cum Sudario.]

℣. Adoramus te, ut ſuprà.

INtuens B. Matrona Veronica in faciem JESU Sacroſanctam, in quam deſiderant Angeli proſpicere, & notans in ea ſputorum, & vulnerum maculas, conſpicatáque aureum frontis ebur ſpinarum aculeîs confractum, genas corroſas, os tumens, oculos ſanguineîs ſuffuſos lacrymîs, crines ſanguine, ſudore, & pulvere concretos, manus, pedéſque ſaucios, ut Domino Deo ſuo ſuum commiſerationis affectum oſtenderet, velum, capiti ſuo detractum, eidem offert, quo priſtinus Divinæ Majeſtatis ſplendor, detersîs maculîs, puriſſimæ faciei rediret.

Scilicet non potuit devota hæc Chriſti famula patientis faciem Salvatoris intueri, quin macu-

las

las, eam obfuſcantes, confeſtim velô capitis ſui ſtuderet detergere. O Religioſe! illæ maculæ, quæ faciem Chriſti deturpavêre, peccata ſunt venialia, quibûs illam commaculas, dum in conſpectu Domini ſub ſacra Pſalmodia, Miſſarum celebratione, precum tuarum perſolutione indecenter te habes, vagè, imcompoſitè, ac minùs religiosè. Quid igitur facies? in faciem Chriſti tui intendes, viam Crucis frequentiùs obibis, & majorem conatum veli locô Redemptori tuo offeres, quo exactiùs, devotiùs, & ferventiùs, quæ Dei ſunt curabis, & ſic maculas, quæ Divinam in anima tua faciem inhonoraverunt, ab amantiſſimo Domino quàm longiſſimè removebis, & præcavebis. Inſuper firma fide Dei te, & tuas actiones, obſervantis præſentiam apprehendes, ut illo præſente non audeas, quod alio præſente non auderes.

Utique ô Domine! ſi in Divinam tuam faciem exactiùs intendiſſem, non adeò luridus in meis actionibus, tepidus in Divinis, & ubique negligens fuiſſem; nihil perfunctoriè, & præcipitanter egiſſem, ſed modeſtè, & cautè: neque ignominiâ, & irreventiâ Divinum tuum obtutum ſuffudiſſem. Impoſterum cum tua gratia ero exactior, & obſervabo me ab iniquitate mea, ambulabo coram te, & ero perfectus in tuo Divino obſequio, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio VII.

Secundò Christus in terram cadit.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

CHristus Dominus post tot languores, verbera, & vulnera, à Judæis nihil mitiùs tractatus, sed novîs tormentîs indesinenter affectus, secunda vice, quasi exanimis, in terram collisus fuit, altùm sub cruce gemiscens.

Speraveram, Dominum Deum meum, ex quo Simonem Cyrenensem in Cruce ferenda socium habuit, reliquum mortis iter faciliùs confecturum. Sed contrarium præsens Statio exhibet. Suspicor sanè, ne Simon ab initio Crucem Christi dedignatus, Judæos convitiîs, & Salvatorem irreverentiâ affecerit. Quid si Crucem non solùm non tetigisset, sed illi incumbendô, aut insidendô, aggravâsset potiùs, quàm alleviâsset? Mirum profectò non foret, Dominum novo onere denuo fuisse depressum.

Ah! quàm optarem, ut ego tantas in Christum irreverentias non commisissem in sufferenda tribulatione, & ferenda cruce post JESUM? Ego enim Crucem dedignatus, iracundiâ, & variîs impatientiæ motibûs impulsus, indignatus sum illis, qui me coëgerunt ad crucem ferendam. Ego parùm de Cruce, multùm autem de vindicta solicitus fui. Hinc Crucem Jesu non alleviavi sed aggravavi, & novo peccatorum pondere oppressum in terram collisi Salvatorem.

Dominus meus, & Deus meus! qui iteratîs vicibûs à me in terram dejectus, contra me inimicum tuum non indignatione, non iracundiâ, ſed amore exarſiſti, da, quæſo veniam, meæ in ferenda Cruce tua ſocordiæ, quemadmodum & ego omnibus, & ſingulis, qui me quocunque modo, juſtè, vel injuſtè afflixerunt, amore tui ex corde remitto, quidquid in me peccaverunt, ſi tamen in me peccare potuerunt, qui omnium odiô, & execratione dignus ſum. Omnis mihi debetur perſecutio, odium, & contemptus. Concede igitur, ut omnia adverſa feram ea intentione, ùt Crucem à te mihi communicatam, & millies debitam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio VIII.

Mulieres plangunt JEſum.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

ASpiciens JESUS piam fæminarum, ſe ſequentium, & deplorantium turbam, ſimul ob oculos ſibi ponebat ſeriem æternæ ipſarum, & filiorum earùndem, prædeſtinationis, & reprobationis, dependenter à peccatis committendis; & quia cognovit, plerásque illarum, & poſterorum ſuorum, eſſe æternùm reprobandas, dolore cordis tactus intrinſecùs, eas ſic affatur: filiæ Jeruſalem: *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* (d)

Hoc

Hoc fuit unum ex maximis tormentis, quæ innocentissimus Salvator unquam sustinuit: dum scilicet ipsi repræsentabantur tam enormia hominum flagitia, & scelera, ut ejus passio, sanguis, vita, & mors, ex ipsorum improbitate nullum sint operatura fructum, præterquam æterni incendij augmentum. O Religiose! etiam te vidit Salvator: & quid vidit? certè si ex vita hactenus transacta judicandum est, nil vidit; nisi scelera, & flagitia, tepiditates, & curam carnis. Estne hic fructus passionis Dominicæ? si sic perrexeris, de malo in pejus, de pejore in pessimum incides, nimirum in æternæ reprobationis periculum. Ah utinam hanc non debuisset prævidere mens Dei omniscia! at verò si sic forsan permanseris, affliges afflictissimum JESUM, & dolorissimum æternæ circa te dispositionis intuitum causabis. Defle igitur te ipsum, defle filios tuos, peccata tua, quæ genuisti; crimina, quæ commisisti; consuetam tepiditatem, cui adhæsisti.

O JESU afflictissime! contere cor meum lapideum, ut ex eo velut ex lapide contrito, scintillæ amoris exiliant in oculos meos, & hi integros lacrymarum torrentes depluant, ex vera contritione decurrentes. Filius quidam occidit patrem suum incognitum, cognito autem errore præ doloris vehementia exspiravit. Ego, ego te occidi, ô Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis! & non tantùm te occidi, sed crudelissima morte, post mille millena vul-

nera, poſt peccata innumera, te occidi. Ah! pœnitet, & factô tam ſacrilegô torqueor, emendationem efficaciſſimam ſpondeo, & ob hanc cauſam omnes præparabo impenſas.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(d) *Luc.* 23.

Statio IX.

Tertiò Chriſtus in terram corruit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

TAntum erat, tam inſatiabile Jûdæorum odium, ut, etiamſi illum ſummè debilitatum, extremè laſſatum, & viribûs deſtitutum cernerent, verberibûs tamen, & calcibûs, pugnîs, & fuſtibûs eò uſque ad progrediendum impellerent, donec JESUS horribili lapſu tertiò in terram proſterneretur; & tantùm abfuit, ut ei comparerentur, quin potiùs novîs fuſtigationibûs lapceſſitum crudeliter propellerent.

Hæc legis Religioſe! & nullam in te ſentis compaſſionis ſcintillam. Quid! ſi videres bovem ſub plauſtro, aut aſinum ſub ſarcina fatiſcentem, & immaniter ab agaſone tractatum, & toto corpore miſerè dilaniatum, dimanare ſanguine: an non accurreres, aſinúmque aut exonerares, aut à terra levares, vectorem verò inhummanum verbîs diriſſimîs increpares? ita ſanè. Sed quare hoc faceres? nunquid ideo, quia bovem, aut aſinum

ſinum, tanquam animal innocuum, naturaliter amares ? quod inde patet, quia ſi tale animal patrem tuum occidiſſet, non levares ex odio, & ei non compatereris. Superi! quid hoc portenti? ad aſinum accurris in terra jacentem, & ſub onere fatiſcentem, quia ipſum amas. At, dum Filius Dei in terra jacet propè exanimis propter te, dum ſub Cruce fatiſcit, ad eum non accurris. Ergo aſinum amas, & filium Dei non amas. Eheu! aſini ſarcinam levares tuîs humerîs, & ne digito quidem tangis Crucem Chriſti amantiſſimi Patris, & Benefactoris tui. Quid ſequitur? ergo etiam amare Deum non vis, portare nihil potes, ſalvari non vis, nec potes: ſi verò ſalvari non vis, fac poſſis. Compatere Deo tuo, Crucem leva Religioſæ modeſtiæ: eſto diſciplinæ amans, ſobrius, caſtus, obediens, humilis, &c.

O Domine! ego te dejeci in terram, ego te proſtratum non allevavi, ego Cruce ſuppreſſum non exoneravi: ego plus amavi aſinum, corpus meum, quàm te: ego aſinum illud animal ab omni moleſtia, & Crucis mortificatione eximere ſtudui, quod tamen te amantiſſimum Patrem meum vulneravit, occidit. Da ergo mihi ſalubre aſini hujus odium, ut ipſum adigam ad onera, ad Crucem, ad pœnitentiam, & ſic te refocillem, &c.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio X.

Christus vestibûs Spoliatur.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

HOrrenda, lugenda, inexplicabilis, inconceptibilis, immensa, infinities infinitissima erat confusio, quam sustinuit JESUS Christus Filius Dei, Filius Immaculatus Virginis Matris Immaculatæ, dum violenter detractis vestibûs nudus coram ingenti hominum multitudine stare, & erubescere coactus est.

Hoc martyrij pelagus amarissimum absorbuit Salvator dulcissimus; tu, ô Religiose! pia quadam cogitatione solummodo gusta. Quis tibi foret sensus, quæ mens, quæ vita, si coram Religioso tuo cætu nudus absque vestimento comparere deberes, vel unico horæ quadrante? quàm molestum, quàm intolerabile, tibi, homini honesto, & castitatis studioso, id genus supplicij foret? quid? si coram communitate hominum sæcularium, si in foro publico, coram scurris, & rabulis idipsum sustinere cogereris? quis te timor, quæ anxietas, quæ verecundia incederet? Eheu! quid erit, cùm in novissimo die, tota inspectante creaturarum universitate, turpium desideriorum fætor, cogitationum impurarum sponte præfixa obscœnissima objecta; cum verborum procacia, execrandæ sensuum illecebræ, & actus erubescendi, cum omnibus circumstantijs suis, manifestabuntur? ô quàm optares tunc (si simile quid commisisti) ut caderent montes super

per te, & operirent te. A tam tremendo erubeſcendi debito Deus tuus te liberaturus immanem confuſſionis vim dignanter ſuſtinuit. An adjicies ultra tam crudeli ſupplicio verecundiſſimum caſtitatis Authorem ſubjicere?

Abſit, ô JESU! abſit à me tantum nefas, maledicta ſint illa momenta, quibûs cogitationi turpi, aut deſiderio improbo, auditum præbui. Maledicta omnia verba, quorum obſcœnitas os meum ſæpe numero inquinavit. Maledicta, & in æternum maledicta opera, quibûs tibi, ô JESU! lethalem incuſſi ruborem. Maledictæ denique occaſiones, & ſocietates, quas honori Divino antepoſui. Impoſterum Domine! hæc ſit mea, æternùm duratura proteſtatio: millies, & infinities millies mori malo, quàm vel minimum quid ſacroſanctæ caſtimoniæ contrarium deinceps facere. Ita me Deus adjuvet, & immaculata ejus Mater, & Virgo.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XI.

JEſus Crucifigitur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

POſtquam ad montis Calvariæ verticem ventum eſt, Agnus Dei à carnificibus in Crucem proſternitnr: ipſe verò promptiſſimè, & voluntariè manus, pedésque extendit Cruci affigendos,

nec eos, ubi clavîs ingentibûs perforabantur, unquam retraxit.

Fratres! *hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto JESU.* Ita quidem monet Apoſtolus. Nos quidem ſenſimus cum Chriſto JESU, ubi voluntariè relictô ſæculô extendimus manus, pedésque crucifigendos in Cruce Religioſæ profeſſionis, per tres clavos obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis. Non autem ſenſimus in- & cum Chriſto JESU. dum aſperitatem horum clavorum ſentientes manus retraximus. Obedientiæ opera, noſtræ perverſæ voluntati contraria, querulè, invitè, & cum multa impatientia executi ſumus, aut omnino neglexímus. Pauperitatis rigorem pertæſi, non vilia, non incommoda, non pauca quæſivimus ſed pretioſiora, pulchriora, commodiora, eáque non pauca deſideravimus, menſam pauperem per multam impatientiam amaricavimus, & faſtidivimus. Angelicam caſtitatis virtutem, oculorum divagatione, aurium, mentis, & oris indiſciplinata effuſione, non debitè cuſtodivimus; nec corpus luxurians mortificationum largitate, & cibi, potúsque parcitate, ac frugalitate edomuimus. Retraximus ergo membra noſtra à crucifixione, & quæ placuit ſemel pugna, hoſte comparente diſplicuit.

Domine Deus noſter! tu ſcis inconſtantiam noſtram, ſpiritûs promptitudinem, & carnis infirmitatem. Ah! ſupplici te exoramus voce: *confige timore tuo carnes noſtras*, ut voluntarius Crucis amor tantùm in nobis valeat, ut carni petulan-

tulanti imperet, tres Religioſorum votorum clavos conſtanter ſuſtineat, & in Cruce regularis obſervantiæ tecum exſpiret.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XII.

Chriſtus in Cruce moritur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

JESUS Chriſtus, meta Judaicæ rabiei, Herodis riſus, militum ludibrium, derelictus à Patre, blaſphematus à latrone, crucifixus ab hoſtibus, occiſus meîs ſceleribûs, clamans voce magna, exſpiravit.

Deſideras nôſſe, ô Religioſe! quis clamor, quæ vox illa fuerit? Thomam Kempenſem conſule, (e) qui Chriſtum introducit, tibi ſic clamantem: *Fili! venias ad me, cùm tibi non fuerit benè.* Vocem profectò magnam! quia me vocat *filium*, qui ſum parricida. Rebellem, & latronem peſſimum jubet *venire ad ſe* clementiſſimus Pater, memor miſericordiarum, immemor injuriarum. Vocat, ut *benè ſit mihi*, qui omnia mala merui. Et ideo hactenus bene mihi fuit nunquam. Conſcientia me accuſat, flagitia damnant, & mala, pœnæ, & culpæ undique me perturbant. Sed quia clamas *voce magna*, idcirco hæc quoque auribus mentis meæ ſe inſinuat; vocanti pareo, & ad aram Crucis compareo, ut effundam in con-

ſpectu tuo orationem meam, & tribulationem meam ante te pronuntiem.

Tu Domine, qui corda nôſti omnium, variîs crucibûs, ac ærumnîs undique obſeſſum me conſpicis: multa ſunt flagella peccatoris, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum. Ad hæc non eſt ſanitas in carne mea. Et inſuper lumbi mei impleti ſunt illuſionibûs, & ſentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ; & propterea iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. Mente ſum aridus, cogitatione vagus, propria exiſtimatione ſuperbus, voluntate indomitus, amore proprio cæcus. Ecce Domine! hæc eſt facies mea, hæc vitæ meæ ratio: & ideo venio ad te, cùm mihi non fuerit bene. Tu es vita mea: da, ut moriar pro te! tu pro me mortuus es: fac, ut tibi ſoli vivam! tu pro me crucifixus es: concede, ut tibi per te me concrucifigam! tu de Cruce non deſcendiſti: tribue, ut tandem & ego aſcendam! tu non peperciſti tibi pro me: largire, ut nec ego parcam corpori meo, & cupiditatibus meis effrenibus! Denique tu in manus Divini Patris tui emiſiſti Spiritum: permitte, ut & ego in manus tuas emittam ſpiritum meum, ut bene mihi ſit tecum in æternum. Fiat.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(e) *L. 3. de Imit. cap. 30.*

Statio

Statio XIII.

De Cruce deponitur Corpus JEſu.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

NOn absque providentiſſimo DEI conſilio factum puta, quòd corpus ſacratiſſimum JEſu Chriſti è Cruce depoſitum, ad ſinum Virginis Matris fuerit deportatum, nimirum ut ex hujus aſpectu Mater Dei evidenter evaderet Regina Martyrum. Enimverò vertex Divinus mille puncturis ſaucius, facies deſœdata, oculi emortui, capilli ſanguine concreti, os lividum, humeri exulcerati, dorſum conciſum, genua confracta, manus, pedéſque perforati, latus lanceatum, coſtæ diductæ, totum corpus quaſi excoriatum, & mortuum, quid potuêre aliud, quàm cor Maternum transfodere, & crudelî tormentô excruciare?

Quis tibi tunc ſenſus, dum cernis talia Virgo? talis ſenſus utique, qualis fuit illi matri, quæ (ùt teſtatur Ludov. Gran.) viſô filij ſui ob enormia ſcelera ad mortem condemnati, & decapitati, cruento vertice ad publicum horrorem in patibulo affixo, & expoſito, in inconſolabiles effuſa lacrymas, tanto dolore correpta eſt, ut domum reverſa mæſtiſſimam exhalârit animam. Quis ergo dolor pervaſit cor Virginis, & Matris, aſpicientis vulnera, fixuram clavorum, aculeos, livorem, mortémque ſui Filij innocentis, ſanctiſſimi? S. noſter Bernardinus ait: *Tantus fuit dolor*

lor Virginis in Passione Christi, ut si in omnes creaturas divideretur, omnes subitò interirent. (f)

O Mater dolorosissima! si ego Filium tuum non tam enormi morte trucidâssem, tam vehemens te non mactâsset luctus, & dolor. Super mea inaudita crudelitate totus quantus consternatus doleo, & tuis passionibus sincerissimo affectu condoleo; & ut magis condoleam, unicam inexhausti ferè tui dolnris guttulam mihi Materna pietate communica. Nec interitum ob doloris gravitatem horreo, sed potius in JESU, Filij tui doloribus, & tuis condolentijs, mori exopto. Ah! rogo te in hora mortis meæ impetra mihi unicum ex dolorisissimis illis suspirijs, quæ JEsus meus, Filius tuus, moriens pro mea salute emisit, & quæ tu eidem amorosissimè compatiens, ex dolorisissimo tuo pectore expressisti. Pro hac gratia impetranda, nullus abibit dies, quo non aliqua mortificatione JESU passionem, & tuam compassionem venerabor.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(f) *Tom. 1. ser. 61.*

Statio XIV.

Corpus Christi Sepelitur.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

EX sinu Virginis in sinum terræ deponitur corpus Redemptoris, & in sepulchro colloca-

tur

tur, de quo pridem vaticinatus eſt Propheta : *&* *erit ſepulchrum ejus glorioſum.*

O utinam anima mea eſſet glorioſum corporis Chriſti ſepulchrum ! gloria ſepulchri Domini in eo conſiſtebat, quòd eſſet novum, mundum, in petra exciſum, lapide grandi clauſum, Mariæ Matris Virgineæ, Apoſtolorum, Diſcipulorum, piarum mulierum, & modò Chriſtianorum devotionibûs, ac peregrinationibûs honoratum. Econtra quàm inglorium habet Corpus Domini glorioſum in corpore, in corde, in anima mea ſepulchrum ? Non *novum* ; quia ſum inveteratus malorum. Non *mundum* ; quia plenum miſerijs, & peccatis, fœtore, & putredine. Non *in petra exciſum* ; quia cor meum non eſt ſolidatum ſupra firmam petram, quæ Chriſtus eſt, ſed incumbit vanitatibus, & inſanijs falſis. Non *lapide clauſum* ; quia ipſum facilè penetrat vanæ gloriæ ventus, humanæ converſationis pulvis, divagatio ad externa, ad vana, ad ea, quæ ſunt mundi, & non manet in eis, quæ ſunt Chriſti JESU. *Nec denique Mariæ, aut piorum affectibûs honorabile* ; quia affectus meus eſt rarus ad pietatem, frequens ad vanitatem, ad colloquia, recreationes, compotationes, occupationes frivolas &c. Siccine honoras, & glorificas Corpus Dei JESU Chriſti Salvatoris tui ? Edic ſodes ! an in ſtrato immundo, aut in eo, in quo jacuit leproſus, collocas corpus tuum ? veritatem fatere. Abſit ! ais. Convictus ergo es, quod corpus tuum turpe, ſtercoreum, flagitioſum honorificentiùs tra-

ctes,

ctes, quàm Sacrosanctissimum JESU Christi corpus. Prô pudor! & Religiosus, aut Sacerdos tu sis? quid posthac facies?

Hoc faciam, ô JESU! nullus sol occidet, qui non viderit me aliquid passum pro te, & corpori meo, hosti tuo, & meo, aliquam violentiam illatam, ut corpus meum, tuo configuratum in passione, configuretur etiam in gloria.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio XV.

Crux Christi gloriosa.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

NOn immeritò Crux Christi Sacrosancta solet comparari scalæ Jacob, stanti super terram, cujus cacumen cœlum tangebat.

Stat igitur Crux super terram, è qua ad illius cacumen ascendendum est; novissima enim Crucis cœlum tangunt. Vidit quoque Jacob Angelos Dei ascendentes, & descendentes per scalam. Angeli Dei sunt Religiosi, aut Sacerdotes, quorum est jugiter ministrare, cantare, aut assistere Domino Deo. *Ascendunt*, qui cruces, tribulationes, angustias, pressuras, & mortificationes arripiunt avidè, iisque quasi gradibûs utuntur ad cœlum conscendendum. *Descendunt*; qui suæ professionis obliti, commoditates corporales quærunt in claustro, quas non invenissent in sæculo. Edic!

de

de quorum numero es tu ? & de quorum eris poſthac ? & qua ratione Crucis cacumen aſcendes ?

Domine mi Crucifixe ! mira quidem de Cruce, ejusque præſtantia audio ; ſed non capio verbum iſtud. Intellectum igitur meum illumina, affectum inflamma : ut per hanc ſcalam aſcendam ad te Domine, & deſcendat ſuper me miſericordia tua, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(g) *Gen.* 28.

PRAXIS III.

Statio I.

Pilatus profert mortis ſententiam in Chriſtum.

℣. Adoramus te ſanctiſſime Domine JESU Chriſte, & benedicimus tibi !

℞. Quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

UT tandem Pilatus ab importunis Judæorum clamoribus ſe liberaret, injuſtam contra Deum tulit mortis ſententiam, dicens : *Accipite eum vos.* (a)

Amor ſcilicet proprius, corporalis commoditatis ſtudium, carnalis voluptas, & moleſtiæ horror

ror ita judicant, talem ferunt ſententiam. An non & tu conſimilem tuliſti? erat tempus orandi, aut ſurgendi; ſed quia hoc importunum tibi erat, orationem neglexiſti, ſomno indulſiſti. Inſtabat pruritus, curiosè audiendi nova, vana, jocoſa, ſæcularia: aliud ſuadebat ſilentij, & mortificationis ratio; at quia corpori, & curioſitati gravior videbatur eorum carentia, ſilentium violâſti, mentem vanîs occupâſti. Zelum animarum, ſenſuum coërcitionem, cibi, potúsque parſimoniam, ſacræ viæ Crucis viſitationem frequentiorem ſuadebat amor DEI, & æternæ ſalutis cura: ſed incommoditas corporalis ſubeunda creavit nauſeam; & ideo tuîs concupiſcentiîs victus, dicebas intra te: *Accipite eum vos*; & ſic inſpirationes pias, deſideria bona, cogitationes ſanctas acceperunt, & in cunis quaſi ſuffocavêre. Putas, recténe judicâſti? quomodo deinceps judicabis?

Fruſtra clamâſti Domine DEus meus! per os Prophetæ: *recta judicate filij hominum.* (b) Perversè judicavi, & amore proprio excæcatus hactenus fui judex in propria cauſa. Ut verò poſthac juſtiùs judicem, rogo te, ô Chriſte JESU! in cujus manu omne judicium poſuit Pater: *Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam: de gente non ſancta, ab homine iniquo, & doloſo* (qui egomet ſum) *erue me.* (c) Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(a) *Joann.* 19. (b) *Pſal.* 57 (c) *Pſal.* 42.

Sta-

Statio II.

Christus Crucem suscipit.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

AUditâ Judæi injustâ, sed à se dudum optatâ Pilati sententiâ, tripudiantes raptant innocentissimum Deum ad locum, ubi Crux erat parata. JESUS autem eâ conspectâ cum ingenti dignatione, & fervore, voluntariè se inclinat, & omnium virium annisu in suos sacrosanctos humeros suscipit.

Tota vita Christi est exemplar, & magisterium nostræ. Si igitur Salvator crucem suscipit, & voluntariè suscipit, etiam nos debemus crucem nostram suscipere, & voluntariè quidem. Neque hoc consilij est, sed præcepti; sic enim Christus voluntatem suam legislativam declarat: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* (d) Tolle igitur crucem tuam, & adversa omnia, quæ tibi accidunt, & in hac cruce Christum sequere. Sed fors causaberis, te crucem, quam tollas, non habere? Ain tu: an non habes passiones rebelles, indomitas, peccaminosas? Ecce! hæ crux tua sunt: ergo illas tolle, & è medio tolle, ut sub te sit appetitus tuus. Hoc autem aliter haud facies, nisi crucem voluntariè tollas, crucem, inquam, continuæ custodiæ, continuæ tuimetipsius humiliationis, suppressionis, mortificationis. Hæc, & similia,

quotidie legis, & audis, cur non etiam facis? Vísne tu venire post Christum? si vis, fac, quæ ad hoc Christus, tanquam conditiones, requirit; aliàs tua voluntas efficax non est.

Domine JESU Christe! ego vî vocationis meæ me obligavi venire post te; sed necdum me abnegavi, necdum crucem meam sustuli. Tu igitur da mihi tantam fortitudinem, ut crucis horrorem vincat amor tui, & ad tuam me sequelam per crucis mortificationem trahat hic ad montem Calvariæ, ibi ad montem gloriæ.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! míserere mei.

(d) *Marc. 16.*

Statio III.

JESUS viribûs destitutus primò in terram cadit.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

ETiamsi Salvator meus adeò Crucis mole fuerit pressus, ut eidem debuerit corpore tenus succumbere, illam tamen dimisit nunquam: imò cum debilitate corporis crescebat vigor mentis, plura amore Patris æterni, plura quoque amore salutis meæ patiendi.

Ego verò degener sum filius, nam me quæcunque tribulatio, & crux, adeò posternit, ut & animum à ferenda cruce avocem, & crucem om-

omnino excutere præſumam. Aſt modò Deo inſpirante, hoc concipio propoſitum: in reverentiam infirmitatis, quam JESUS pro me ſuſcepit, omnes dolores, corporis afflictiones, infirmitates, perſecutiones, contemptus, & irriſiones ità feram, ut, licèt corpus allidant terræ, affigant lecto, & valde ſenſibiliter afficiant, ac diſcrucient, mente tamen ſemper ſtem erectus pro amore JESU, & pro ſalutis æternæ bravio accipiendo, memor illius, quod dicit S. Auguſtinus: *Patere, quæ non vis, ut adipiſcaris, quod vis.* (e)

Surge ô Domine! ut ſurgam ego: confortare, ut conforter ego. Ego enim longè ſum infirmiſſimus, qui ea, quæ carnem meam vel leviter cruciant, adeò horrui, ut eorum horrore victus curam carnis perfecerim, crucem meam fugerim, & tuam aggravaverim. Verumtamen tua infirmitate confortatus non cedam ampliùs; ſtabo ùt miles Chriſti, & in infirmitatibus meis, & omnibus adverſitatibus, unde unde imminentibus gloriabor.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei

(e) *in Pſal. 29.*

Statio IV.

Maria Christo obviat.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

MAter Dei amantissima cum inexplicabili animæ suæ dolore Filium impigrè sequitur, & attentè omnem ejus passionem observat. Certè novit Virgo prudentissima, & Spiritu S. plena, se gratius Filio suo obsequium exhibere non posse, quàm eum in via Crucis comitari, observare, & plangere.

Cogita Religiose! si tu absque gravi tuo incommodo æquale potuisses JEsu Christo præstare obsequium, aut omnino à morte liberare, vel pro eo pati, aut saltem singula ejus vulnera fragrantissimîs rosîs perlinire, an non fecisses? subsiste hic, & delibera, quid facturus fuisses? Nónne quàm libentissimè eam chatitatem Salvatori tuo impendisses? ecce! optata se offert occasio, idipsum hodie adhuc, si libet, & deinceps sæpius exequendi. Quâ ratione, quæris? dicam: visitando viam Crucis, recolendo memoriam Passionis Domini. Sic enim revelatum est S. Mechtildi à Christo Domino, dicente: *Quoties homo in meditatione Passionis meæ suspirat, toties vulnera mea, tanquam cum vernante rosa, suaviter tangit.* (*f*) Rursus: *in veritate dico tibi, quòd, si quis ex devotione erga passionem meam lacrymam fuderit, hoc ità acceptabo, acsi pro me passus fuisset.* (*g*) Et iterum loquitur Christus: *Si quis mihi pro illo dolore, quòd in Cruce ità extendebar, ut omnia membra mea dinumerari po-*

tuerint

tuerint, gratias egerit, tale mihi præſtat obſequium, acſi vulnera mea unguentô unxiſſet. Et ſi quis mihi gratias egerit pro ſiti, quam ſuſtinui, hoc ità accepto, acſi ſitim meam extinxiſſet. Et ſi quis mihi gratias egerit, quòd clavis Cruci affixus ſim, hoc mihi ità gratum eſt, acſi me de Cruce liberâſſet. (*h*) Inexcuſabilis es, ô homo! ſi tam grande obſequium Salvatori tuo denegas propter aliqualem aut erubeſcentiam, aut incommoditatem, quam tua fingit phantaſia.

Chriſte JESU! ſi gravia à me poſtulâſſes, & aſpera, deberem omnia ſubire lubens propter te. Nunc autem cùm levia poſtulas, an tergiverſer? Abſit! memoriâ memor ero tuæ paſſionis. Ah! da lacrymas, ut pro te patiar, da ſuſpiria, ut vulnera tua diſſuavier: da gratum animum, ut ſitim tuam extinguam, & de Cruce te liberem: da denique amorem, ut amore tui moriar, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*f*) *L.1.Revel.c.24.* (*g*) *ibid. c.27.* (*h*) *lib. 2.c.15.*

Statio V.

Cyrenæus cogitur ad portandam Crucem poſt JESUM.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

IN tantùm JESUS Crucis gravitate, & tortorum ſævitie, debilitatus erat, ut vix vale-

ret pedem movere , nè dicam , intolerabile Crucis pondus portare.

Utinam ! dicis , utinam ego fuiſſem præſens ! quàm gaudioſiſſimè portâſſem , & ſuſcepiſſem in me Crucem JESU. Sic eſt in meditatione Paſſionis Dominicæ videris tibi torrente ignis Divini abſorberi , ingentia ſpiras deſideria mortem , ac martyrum ſubeundi , ut fidem defendas. In contrititionibus dicebas millies mori , omnia tormenta ſubire paratus ſum potiùs, quàm deinceps Deum meum offendere. Sed en præclarum Martyrem ! venit Superior , & te paternè corrigit : alius te levî verbô vexatoriô, aut (ut vocas) deſpectivô pungit ; & immediatè totus exardeſcis in flammas , vehementiſſimè iraſceris , fratrem odiſti &c. Superior eſt tibi vir indiſcretus , murmuras , & omnia querelîs reples , ac amaro es animo. Et tu caput dabis carnifici , corpus tormentis , animam pro Deo ? tu feres probra , confuſiones , & ſupplicia , qui unicum verbulum portare non potes ? Chariſſime ! deeſt tibi martyrij cruenti occaſio : non deeſt incruenti : diſſimula , patiens eſto , degluti aſpera , devora injurias ; & eris martyr in religione incruentus. Hoc ſi non feceris , nec martyr eris , nec religioſus. Eja ! exere vires , crucem arripe , hac die à colloquio vano , à cibo magis arridente &c. abſtine , & ejusmodi actibûs diſpone te ad habitum mortificationis , & martyrij , omittendô ea , in quibus te hactenus reprehenſibilem expertus es.

Fa-

Fateri cogor coram te Domine Deus meus, deſideria mea, & affectus meos, quos pios puto, & amoroſos, eſſe ventô plenos, & fucô, & ſimiles folio, quod ventô rapitur. Sic ergo, Martyr ero; ſed eò connitar, ut, dum alij famuli tui magna amore tui fecerunt, & ſuſtinuerunt, levia ego feram, & vincam. Scio ô Domine, quòd grandia à me non exigas, qui nec levia ſuperare poſſum. Concede tantùm, ut in his non deficiam; ſed de parvo ad majus, à leviori ad graviora pro te ſufferenda enitar, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio VI.

Veronica Chriſto ſudarium offert.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

TAm horrendus erat humanæ Chriſti faciei aſpectus, ut hominis vix ullum veſtigium appareret. Cùm igitur Chriſtus raptaretur ad necem, omnes eum videre deſiderabant: hi quidem intendebant ad Judæorum tripudia, illi ad carnificum ferocitatem: alij ad militum armaturam, aut ad Crucis ac mortis, quæ præferebantur, inſtrumenta. Hi in plateis, illi per feneſtras ſcenam ſpectabant ttagicam: quos inter B. Veronica, quæ tamen aliud obſervabat nihil, quàm faciem Domini patientis, ex cujus aſpectu miſerando ità cor ejus ad genero-

ſos auſus, & fervores fuit inflammatum, ut dettactô ſibi capitis velô ad eam a ſordibus purgandam, per ſtrictos enſes, & haſtas ad Chriſtum uſque penetraverit.

Tu econtra, cùm per horas canonicas, aut celebrationem Miſſæ, Paſſionis Dominicæ recordari deberes, alijs omnibus intendis, faciem autem Domini non obſervas: & utinam eandem tuarum diſtractionum, divagationum, & ſurditatum ſputis non de novo commaculares! Propone deinceps majori fervore, ac attentione divinis rebus intereſſe, & fervidîs affectibus Divinam faciem recreare. In præmium devotionis ſuæ reportavit B. Veronica faciem Chriſti ſudario impreſſam: tu verò reportabis faciem Chriſti animæ tuæ impreſſam, id eſt, gratiam ſanctificantem, prævenientem, excitantem, cujus defectu tepidus permanebis, & aridus: hæc autem gratia non datur, niſi devotè ſupplicantibus, & orantibus mente, ac ſpiritu.

O Divine Magiſter, doce me orare, & quidem orare in ſpiritu, & veritate tanto fervore, & ſtudiô, quantô coram facie Judicis cauſam ſuam perorat reus; ut inveniam gratiam coram oculis Divinæ Majeſtatis tuæ, quæ ad ea, quæ Dei ſunt, promptiorem me faciat, & alacriorem, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio

Statio VII.

JESUS iterum cadit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

INvitus licèt, permiſit tamen truculentus lictorum, Judæorúmque grex, ut Veronica ſudariô Chriſti faciem detergeret. Aſt hanc qualem qualem refocillationem majori crudelitate compenſavit. Quare Chriſtus Dominus cogitur iteratò eorum pedibus, & Crucis oneri ſuccumbere.

Tu pariter Religioſe! breve quoddam obſequium exhibes Deo tuo, dum in viſitatione ſacrarum Stationum viæ Crucis Chriſto compateris, delicta commiſſa plangis, & proponis plangenda poſthac non committere. Hôc inquam ſudariô refocillas non nihil faciem Domini tui. Vix enim hoc exercitium finiviſti, in antiqua relaberis crimina, faciem Chriſti de novo commaculas, & illum honorem exhibitum duplicatâ injuriâ deſtruis. Putas, quid ſolatij habebit Chriſtus, ſi poſt levem honorem graves ei injurias inferas? quid tibi prodeſt, ſi ter etiam in die ſacram Crucis viam citò percurras, & te non emendes, propoſita non ſerves, & non exequaris? Disquire intra temetipſum occaſiones, quibûs oblatîs concepta propoſita in effectum deducere velis, & poſſis.

O Domine, ità ſanè eſt! ſæpe in meditatione ſacræ tuæ Paſſionis tibi compaſſus ſum;

ſed quòd hæc compaſſio non fuerit vera, ac genuina, opere oſtendi; quia ſtatim novìs te injuris laceſſivi, & nullam adhibui diligentiam, tui offenſas præcavendi. Dixi, nunc cæpi, totô animô in id incumbam, ut, quantùm fragilitas mea permittit, deliberatè nunquam poſthac te offendam leviter, multò minùs graviter, tuâ firmatus gratiâ, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio VIII.

Mulieres deplorant JESUM.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

TRiſtiſſimam Chriſti ad montem Calvariæ proceſſionem, carnificum barbariem, militum furorem, Judæorum rabiem, JESU vulnera, & immania tormenta, conſpicatæ quædam mulieres, in lacrymas, & lamenta, & doloris, ac compaſſionis affectus proruperunt, & hoc quidem ex naturali motivo; quia homini, Prophetæ magno, & ſuo benefactori compatiebantur, cujus Divinitatem ignorabant.

Ego autem tot, & tanta JESU Chriſti ſupplicia, tormenta, ac martyria ſiccìs ſpecto oculìs, qui tamen fide Divina illuminatus credo, eum eſſe Dominum, & Salvatorem meum, Conſervatorem, & Benefactorem meum, omnem ſpem, & conſolationem meam, ſummum & infinitum Bonum, ac ultimum finem meum.

Certè

Certè ipſam hanc cordis duritiem, & obſtinaciam ſanguineis deberem lacrymis deplorare. Sed unde tantus cordis mei torpor? inde, quòd cum illis mulieribus beneficia Domini rarò recogitem; nullas pro iis agam gratias, & quaſi rei inanis ſtatim obliviſcar. Quoties enim ego gratâ recolo memoriâ beneficium vocationis religioſæ? beneficium ordinis Sacerdotalis? beneficium quotidianæ de menſa Domini participationis? Et (ut alia taceam) beneficium beneficiorum omnium maximum, & admirabiliſſimum Paſſionis Dominicæ? ſi enim hæc ſedulò recogitarem, non adeò ingratus, immortificatus, tepidus, & vecors permanerem, ac lapideus, & inſenſitivus.

Domine Deus meus, qui de tortente voluptatis tuæ potas Sanctos, & Electos tuos. Rogo te humillimè, etiam pota me de torrente, non quidem voluptatis tuæ (quia dulcia non meruit, qui non guſtavit amara) ſed de torrente amaritudinis tuæ, ut cor meum in planctum, & oculi in rivos aquarum defluant, & doloroſîs lacrymîs te defleam patientem, & me non compatientem, te ſummum Benefactorem peſſimè tractatum, & me ingratum peccatorem, tibi non regratiantem, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio

Statio IX.

Christus tertiò prosternitur.

℣. Adoramus, ùt suprà.

JESUS sentiens infirmitatem, quam pro nobis assumpsit, tertia vice gravissimo lapsu in terram collisus est, eò quidem graviore, quò immitiùs in eum debacchati sunt carnifices.

Perpende hanc doloris vim, ô anima! simúlque recogíta, tres dorsi, flagrîs antea excarnificati, articulos esse conquassatos, humerósque Christi (ùt S. Bernardo revelatum est) profundissima cicatrice fuisse ex Crucis onere sauciatos. Et, eheu! horum dolorum causâ iterum ego fui. Tres illas dorsi juncturas ego confregi, dum tres animæ meæ potentias à Cruce avocavi; intellectum quidem ad vana, & illicita convertendô: memoriam à Crucifixi, à virtutum, & obligationis meæ recordatione cohibendô: voluntatem autem à Crucis amore, ad carnalitatum, & desideriorum pravorum prosecutionem inclinandô, & sic Crucem Domini in immensum aggravandô. Insuper humeros Christi tam graviter vulneravi, quia meos Cruci subtraxi, & soli Deo universam molem portandam reliqui. Comedi, & bibi, quod, & quantum potui: dormivi multùm, vigilavi parùm: garrivi frequenter, tacui nunquam: amavi recreationes, odivi occupationes: Choro coactè, non voluntariè interfui: sensi-

bus

bus, ex- & internis fræna non injeci, Christi Crucem, Crucis mortificationem, mortificationis incommoda diligenter cavi, & me summè defectuosum non expavi, sed meiipsius palpo fui.

Inde etiam, ô JESU! te prostravi, te debilitavi, te conculcavi. Ah piissime Domine! debilita me ad malum, & conforta ad bonum, prosterne ad Crucem, ut eidem sceleratos subdam humeros, & conculcem leonem, & draconem, id est memetipsum, ut tu exalteris, & ego confringam inimicos meos in fortitudine brachij tui, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio X.

Christus potatur acetô.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

VErè ingens fuit dolor, quo JESUS torquebatur ex siti acerrima. At potus Ei non dabatur alius, quam vinum Myrrhatum, acetúmque amarissimum; sed noluit potu amaro suam dulcedinem, ac dulcissima viscera amaricare Redemptor.

O Religiose! pro hoc tremendo dolore quid putas, exigit à te JESUS dolorosissimus? ne mireris, si dicam, quod sentio: hoc exigit à te, ut nullos posthac dolores sentias corporales; ut infirmitatem contrahas nullam: ut à mentis hebe-

tudine

tudine ſis liber, & nullam deinceps circumferas ad functiones tuas indiſpoſitionem. An potuiſſet tibi gratius quidpiam, an proficuum magis præcipi, ignoro penitus. Hoc ſolum, nî fallor, optas, ut in tua ſit poteſtate habere, quod à te Deus exigit. Atqui in tua poteſtate eſt, quod exigitur. An non in tua poteſtate eſt gulam coërcere, intemperantiam cibi, potúsque mitigare, ingluviem moderari? An non in tua poteſtate eſt parcior vini uſus, aut aquatilis dilutio in memoriam aceti, quô JESUS, tuum guloſitatis pruritum expiaturus, potari voluit? Refrena gulam, moderare appetitui, Sobrietatis leges obſerva; & raras patiere vertigines capitis, ſtomachi dolores, hebetudinem mentis nullam, quæ omnia parturit maledicta ebrietas. O! ſi tantos dolores amore Chriſti ſitientis ſuſtinuiſſes, incomparabilis in Cœlo te expectaret gloria: at ebrietatis, & guloſitatis ergò hæc ſuſtinuiſſe, inferni diros cruciatus prælibâſſe eſt.

O Chriſte JESU! da, ut inſatiabilis me invadat ſitis, non Bacchi, ſed tui, ut ſitiat anima mea ad Deum fortem, vivum; ſitiat; ſed repleri vinô compunctionis, & amariſſimæ compaſſionis abſynthiô; nec alius liquor hanc meam ſitim reſtinguere valeat, quàm illius fontis, qui ſalit in vitam æternam.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XI.

Christi Crucifixio.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CHriſtus violentiâ rabioſâ in Crucem agitur, extenditur, & eidem horrendis clavîs affigitur. O tormentum! ô dolor! Tacet nihilô minùs, & patitur patienter, ut opus Redemptionis Humanæ, quod dederat ipſi Pater, conſumaret.

Quis crederet, Chriſtum in Theatro Crucis perſonam Religioſi egiſſe, ſeu potiùs ſuſtinuiſſe? Religioſus enim violenter in crucem actus eſt, dum aliquid patitur, quod ei moleſtum accidit, aut cum violentatione ſuæ voluntatis certæ cuidam Superiorum circa ſe diſpoſitioni ſubiacet. Præterea in utraque hac cruce, aut ſaltem harum unâ extenditur; quia per notabile tempus eam jam circumfert. Dolorem augent repetiti clavorum ictus, irriſiones, oblocutiones, vexationes, murmura, & contemptus. Violenta profectô crucifixio! ô Utinam! Religioſus vice verſa Perſonam Chriſti ſuſtineret, taceret, pateretur patienter. Hoc enim opus eſt, quod dederat ei Pater cœleſtis, ut illud operandô, ſufferendô, exantlandô longanimiter, & patienter, ſuæ ſalutis opus conſummaret. Secus ſi fecerit, pati debebit absque merito, cum gravi æternæ ſalutis perdendæ periculo.

Domine! ſi tibi in infirmitatibus meis complaces, libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inha-

inhabitet in me virtus Chriſti (i) verumtamen tu eſto patientia mea, ſpes mea, & fortitudo mea, nè deficiam à te, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(i) 2. *Cor.* 12. *v.* 9.

Statio XII.

JEſus exſpirat in Cruce.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

JESUS, filius Dei vivi, enormitate dolorum, & multitudine tormentorum tandem victus, & fractus, in manus æterni Patris beatiſſimam exhalavit animam.

O Spectaculum, Spectaculorum Tragicorum luctuoſiſſimum! Moritur Deus, ut vivat homo: moritur Vita, ut mortem occidat: moritur Innocentiſſimus, ut millenas mortes meritus peccator vivat. Moritur (contremiſcite Cœli, & inferni) moritur Creator Immortalis pro mortali creatura. Moritur eheu! & mea manu moritur. O manum crudelem, & omni dignam ſupplicio! Porſennæ Regi necem machinatus, & alterius per errorem Interfector, ardentibûs carbonibus errantem cruciavit dexteram. Quod igitur mea merebitur ſupplicium manus, quæ, cùm enſem juſtæ ultionis in Reges meos, in paſſiones meas indomitas, ſtringere debuiſſet, non errore, ſed præmediatâ malitiâ, Filium Dei interfecit?

Domi-

Domine! ſi tibi placet dare mihi ſupplicij electionem, aliam non eligerem meæ crudelitatis pœnam, quàm *pænam Talionis.* Egô te per ſummum nefas crucifixi: tu jam me per ſummum fas crucifige! perverſa voluntas mea fuit illa manus, quæ te crucifixit: crucifige ergo voluntatem meam, & eò uſque cruci affixam relinque, donec perfectè didicerit, ea, quæ ſibi ſunt contraria, abſque nauſea acceptare, tuíſque ſapientiſſimis, & ſuperiorum meorum diſpoſitionibus, abſque contradictionis nota ſubjicere, & non tam diſquirere, quid alios facere oporteat, quàm quid me ſuſtinere deceat; Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XIII.

Corpus Chriſti deponitur de Cruce.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CORpus Domini poſtquam de Cruce fuit depoſitum, in ſinu Virginis Matris fuit reclinatum.

Sed cur ſacrum illud Corpus non alterius ex præſentibus Chriſti cultorum exceptum eſt brachijs? cur ſolummodo in ſinu Virginis Matris mortuum voluit requieſcere? Ideo (nî fallor) quia cor Virginis præ cæteris erat Filio magis compaſſivum. Nam *(k)* JESUS, & Ma-

ria *erant duæ myſticæ citharæ, quarum una ſonante reſonabat & altera, etiam nullo pulſante. JEſu dolente dolet & Mater; Chriſtô crucifixô crucifigitur & Mater: Crux, & clavi Filij fuerunt etiam Matris.* Et teſte S. Hieron. *Quot læſiones in corpore Filij, tot fuêre vulnera in corde Matris. Clavi quibûs corpus Chriſti pendebat in Cruce, & cor Virginis confixum habebant : nullum ictum recipiebat Corpus, cui non triſtis echo reſponderet in corde Matris.* Ecce ! Sic amat Deus pro nobis paſſus Paſſionis ſuæ memoriam, ut dignantiſſimè, & placidiſſimè in corde compaſſivo requieſcere velit. Ego verò, qui memoriam Paſſionis Dominicæ per immolationem Hoſtiæ incruentam quotidie ago, & Corpus Domini quotidie conſecro, ac ſumo, aut nullam, aut raram admodùm foveo compaſſionem, aut Paſſionis Dominicæ gratam reminiſcentiam, contra expreſſam Domini voluntatem præcipientis : *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* (l)

O JESU ! per dolores te rogo Mariæ. O Maria ! per JESU te obteſtor vulnera, ut ſentire in corde meo merear verum compaſſionis affectum : ut cor meum velut altera cithara ad veſtros dolores doleat, ad veſtros planctus plangat, veſtris paſſionibus compatiatur, veſtris cordibus incorporetur, Corpúsque Salvatoris Sacramentale dignum in illo inveniat receptaculum, Amen. Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(k) S. Greg. in Moral. *(l) Eccl. in Miſſ.*

Statio

Statio XIV.

Sanctum Domini Sepulchrum.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

IN duro, & lapideo sepulchro collocatur venerabile Corpus Christi Domini. Adeò nihil mollitiei, etiam post mortem, suo indulget corpori Salvator, sed omni austeritati semper illud subjecit.

Quid? si ego nimiam, quam turpi corpori meo impendo curam, Religiosa pietate corpori Servatoris impenderem? si unâ, alteráve horâ somnum vincerem: aut abbreviarem, ut dulcius dormiret JESUS meus? si uno, alteróve haustu vini ordinario, aut extraordinario abstinerem, ut eodem vulnera JESU perungerem? si frigoris, aut æstûs incommoda patientiùs, vel diutiùs ferrem, ut Corpus Christi foverem? si ciliciô, flagrîs, alióve sanctæ crudelitatis instrumentô, in meum quandóque corpus sævirem, ut Corpus Christi hac ratione non nihil mitiùs tractaretur, aut à Sacerdotibus reprobis, aut ab indignè communicantibus? hæc, & similia, quæ Sancti docet Spiritûs unctio, propone, & exequere. Si enim sanctum illud, Divinum, virgineum, & adorandum Corpus, à Domino tam dirè hac in vita habitum est: ánne convenit, ut ego corpus meum fætidum, lascivum, & rebelle palpem, illique blandiar?

Frater asine ! corpus meum flagitiosum decretoriam audi sententiam ! parum boni , & carnalis commodi exspectare habes. Pabulabor te per jejunia , potabo te siti , vestiam te frigore , curabo te negligenter , affligam frequenter , castigabo quotidie , parcam nunquam ; non enim expedit , ut tu molliter tracteris , & Corpus Domini tui malè habeat. Tu , ô Domine ! da gratiam , ut corpori meo , in reverentiam Corporis tui , in hac vita reconcilier nunquam. Fiat !

Pater , & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

Statio XV.

Vexillum S. Crucis.

℣. Adoramus te , ùt suprà.

INæstimabili ardore prosequebatur sanctam Crucem Beata Helena. Unde etiam non quievit , donec eam erigeret in titulum , & publicæ adorationi exponeret.

En ! Sancta Helena à toto mundo multîs encomiîs celebratur , quòd Crucem Domini studiosè quæsiverit , inventámque honoraverit. Verùm nec minimam laudem mereretur , nisi ejus tiam Crucem jugiter in suo corpore pro Divini nominis honore portâsset. Pariter , quid me juvat , Crucem Christi quæsiîsse in Religioso Ordine , eámque per emissionem votorum solemnium invenisse , nisi ea observem , & exequar ,

quar, quæ Cruci Religiosæ indispensabiliter sunt annexa? Quænam illa? unum commemoro: arduum in virtutibus proficiendi studium. In hoc studio decertatur pro præmio: tu vix meruisti ascensum.

Deus meus, & omnia! negligentissimus hactenus fui in schola Crucis discipulus. Studebo tamen, ut tuo sub magisterio proficiam in Crucis studio, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

PRAXIS IV.

Statio I.

Condemnatio Christi ad mortem.

℣. Adoramus te sanctissime Domine JESU Christe, & benedicimus tibi!

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

PIlatus, nè Cæsaris offensam incurreret, ejusve gratiâ excideret, sua authoritate abusus tradidit JESUM, ut crucifigeretur. Infandum revera scelus! ut homini placere pergat, displicere Deo non timet.

O utinam meum non foret hoc scelus! computare nequeo, quoties Deum, & ea, quæ Dei sunt, neglexerim propter respectum humanum. Nè homini displiceam, sacram si-

lentij legem temeravi : devotiones tam debitas, quàm liberas, aut deproperavi, aut neglexi, aut miserè persolvi : facetijs, vanitatibus, recreationibus, compotationibus indulsi!: cum lupis ululavi, cum murmurantibus murmuravi, cum dissolutis dissolutus fui. Recordabar equidem, talia displicere Deo, sed quia placuere hominibus, Deum inhonoravi, ut hommuncioni placeam.

Ah Domine! cognosco : quamdiu hominibus placere desidero, non placebo Domino in regione vivorum, & tuus servus esse non potero. Recede ergo improbum hominibus placendi studium! recede! displiceam tibi deinceps, non curo; modò Deo placeam. Dicant me melancholicum, proclament me exoticum, vocent, quidquid velint; malo displicere hominibus, quàm Deo, malo habere pacem in angello cum libello, quàm amicitiam hominum.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio II.

Christus Crucem suscipit.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

EXutus, quâ pro illusione Herodiana induebatur, vili purpurâ, propriâ induitur veste, ut eò facilius ab omnibus agnitus majori exponeretur ludibrio, & confusioni. Deinde

Crucem

Crucem ponderoſiſſimam , & ignominioſiſſimam cogitur in ſuos ſacroſanctos ſuſcipere humeros. Et hæc omnia Salvator ſilenter ſuſtinet incredibilî humilitatis, & patientiæ exemplô.

Tantæ molis erat , ab æterna , quam dudum metui , me eripere confuſione , & æternorum facere gaudiorum hæredem. Ut quid igitur erubeſco ego , & gravor peccata mea uni homini , vices Dei ſuſtinenti , in aures revelare ? ánne momentanea , & exiſtimata hæc confuſio , quam apud confeſſarium incurrendam vereor , æquiparari poterit confuſioni , quam tota die pro me ſuſtinuit verecundiſſimus DEI Filius , Salvator meus JESUS Chriſtus ? O ſtultum me ! ſi pro æternis opprobriîs ſuſtinere nolo momentaneam confuſionem : ſi pro honoribus infinitis exiguam recuſem ferre verecundiam.

Ibo igitur, & adibo ſtatim confeſſarium meum, & eidem latebras conſcientiæ meæ aperiam , oſtendam vulnera , manifeſtabo ſcelera , & turpiſſimas eidem iniquitates meas omnes humili , & contrito corde detegam. Abſorbeat me infernus viventem , ſi ſacram pœnitentiæ Crucem , tota reluctante ſuperba natura , in humili mei accuſatione , propter amorem JESU Chriſti ocyùs non ſuſcepero, memor illius: quoniam *juſtus accuſator eſt ſui.*

Pater , & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

Statio III.

Sub Cruce corruit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

PErgit cum Cruce Salvator majore animi, quàm virium corporalium conſtantiâ, quibûs deficientibûs miſerando lapſu in terram colliſus eſt, & proſtratus.

Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent, ait æterna veritas. Cæcus nimirum duce opus habet, quô dirigente ſecurior incedat, & offendicula declinet. Quòd cæcus ego hactenus fuerim, negare non poſſum; propter cæcitatem enim meam tam frequenter in foveam cado peccatorum: tot deturpor converſationis humanæ maculis, tot offendiculîs mea ſauciatur anima. Sed ecce! ex infinita miſericordia ſua Filius Dei deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt, ut ducatum mihi præſtet. Et ideo mihi cæco baculum Crucis porrigit, ut eô apprehensô ducentem Dominum ſequerer; qui, ut ego tutus incedam, periculis ſe objicit: ut ego ſtem, ipſe cadit: nè ego offendam ad lapidem pedem meum, ipſius pedes vulnerantur: né ego commaculer, ipſe fœdatur. Aſt (ô me inſipientem!) ego relictô baculô, ſpreto Duce, ſolus ingredi auſus ſum. Quid igitur mirum, ſi toties cecidi? porrigit mihi Divinus Dux ille ſecurum crucis baculum, dum certam immittit infirmitatem, perſecutio-

tionem, contemptum, injuriam &c. & ego nefaria temeritate hunc baculum reſpuo, Crucem fugio, & ſic lapſûs irremediabilis periculo me expono. Quis ſcit, an hæc infirmitas &c. ſit ad mortem, quin potiùs, ut aperiantur oculi mei, & videant veritatem.

Gratias tibi Domine JESU! quòd per Crucis tuæ baculum non tantùm Dux, ſed & Medicus meus fueris. Tu mediante tribulatione aperuiſti oculos mentis meæ, ut agnoſcerem meam miſeriam, ut ambularem cautiùs, & pro ſalute mea ſecuriùs. Bonum mihi, quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas. Hoc demum te ſupplex flagito, nè relinquas me mihi.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio IV.

Mater Doloroſa occurrit Filio.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

AMoris impetu acta Mater tanti DEI, per haſtas, & enſes, irruit, ut poſtremò Filium ſuum ſtringeret. At verò Judæa barbaries, & ferox miles, violenta manu Matrem à Nato, & Natum à Matre ſeparant.

Perpende, ô anima mea! quantum hæc violenta ſeparatio dolorem cauſaverit in corde Matris ardentiſſimè amantis, & Filij tenerrimè redamantis. Hanc tamen avulſionem & Filius, & Mater,

vulnerato quidem corde, ſed reſignatiſſima voluntate fuerunt. Ah! utinam ego Horum exemplô avulſionem ſpontaneam à rebus caducis, quas amo perditè, non tolerarem tantùm, ſed & promoverem. Separari ſe patiatur JESUS à MARIA, quam longè ardentiori (ùt dignum erat) proſequebatur amore, quàm cæteras creaturas omnes: & ego amore JESU, amore Mariæ, ſeparari me non patiar ab occaſione peccandi proxima, aut ſaltem ea, in qua frequentiùs labi ſoleo? Si quidpiam carnali meo affectui contrarium aut Superior præcipat, aut ab alio proveniat: mox recenſeo antiquam conſuetudinem, arguo indiſcretionem, ſiniſtrum ſuſpicor erga me affectum. Siccine! majórne mihi conſuetudo, & arctior confœderatio cum meis carnalitatibus, quàm JESU cum Maria? An diſcretionem peto ab homine, qui indiſcretus ſum Deo? An ideo Religioſus factus ſum, ut mihi egomet blandiar, & hominum lucrer affectus? *Si me quæritis*, ait Chriſtus, *ſinite hos abire (a)* Abite igitur favores hominum! abite propria commoda! abite! mihi debetur nihil præter verbera, & opprobria, ut inter hæc ſolum poſſideam Deum.

Domine! qui veniſti ſeparare hominem à patre ſuo, & matrem à filia, & nurum à ſocru: per gratiam tuam ſepara me à prava peccandi conſuetudine, à licentia vitæ, à commoditatum carnalium amore, ut hîs omnibûs expeditus à te non ſeparer ampliùs. Pater, & Ave.

O Amor Cruciſixe! miſerere mei.

(a) *Joann. 18.*

Statio

Statio V.

Deus juvatur ab homine in portanda Cruce.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

ANgariatus fuit Simon ab injuſtitiæ miniſtris, ut Crucem Dominicam, infirmatô Dominô, ipſe portaret. Sed Simon magis ſuo honori, & commodo, quàm Chriſti deſiderio intendens, maximopere Crucis bajulationem recuſavit. Poſtremò tamen victus amore Chriſti patientis, conſtanter eam portavit.

Conſimilem Crucis horrorem, nauſeámve ego concepi. Crucem hactenus ferre recuſavi, aut ejus pondere abſterritus, aut probroſitatem veritus, aut carnis moleſtiam abhorrens, aut cuti meæ tenellæ adblandiens. Veruntamen timui, ubi non erat timor. Deus grandes à me, cujus infimitatem perſpectiſſimam habet, non exigit mortificationem, flagella, ſputa, opprobria, ſpineas coronas, cruces. Hoc ſolum deſiderat, ut crucem Religioſioris obſervantiæ amplectar, ut communia ritè perficiam, ut intellectum fortiùs cohibeam, nè in perſolutione Divinæ laudis divagetur: ut oculos modeſtè coërceam, nè videant vanitatem: ut alaciter ſurgam, ubi ſurgendum: ut parcè comedam, bibámve, ubi natura reficienda: ut devotè laborem in vinea Domini, ubí laborandum: ut taceam, ubi tacendum, orem, ubi orandum, faciam, quod faciendum, obediam præcipienti, ſupportem æqualem, æſtimem inferiorem &c. Ah me miſerum! nè levia hæc quidem feci.

Fi-

Fixum, ratúmque est! communia Religiosæ observantiæ munia, & functiones, accuratiori posthac sectabor studiô. Hoc facere vî statûs mei teneor: ad hoc invitat amor Dei. Minus facere non permittit mea obligatio, plus non requirit Deus. Dolet, ô Domine! dolet acerbè, & pudet socordiæ meæ. Salve ô Religiosa Disciplina! tu Crux mea eris, in te vivam, in te moriar,

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio VI.

Veronicæ erga Salvatorem pietas.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

BEatissima Matrona Veronica ubi inaudiît, quòd Magnus ille Propheta, quem ipsa Filium Dei crediderat, ad extremum raptaretur supplicium, continere se non potuit, quin accurreret, & compassivo intuitu Divinam ejus faciem considerarer. Dein, ùt eam indignissimè vidit commaculatam, velum è suo detractum vertice Salvatori affert, qui eodem & maculas detersit, & imaginem vultûs sui dignanter illi impressit.

Hic fuit fructus devotæ Meditationis, pius nimirum affectus, amoris flamma, detractio veli, ejúsque oblatio, & reportatum Divinæ faciei honorarium. Undenam est, quòd raro pietatis sensu afficiar, in Divino obsequio frigescam, velum tepiditatis retineam, supererogatorium nihil Deo offeram

offeram, & Divinorum charismatum deflendam incurram jacturam? Inde est (respondent Ascetæ omnes) quòd sacras Meditationes passim negligam, aut ex frivolis, & ementitis causis fugiam, decurrem, & abhorream, velut tormentum animæ; cùm tamen *Oratio mentalis tam necessaria sit animæ ad vitam spiritualem conservandam quàm necessaria est anima ad naturalem vitam corpori subministrandam*, ùt loquitur S. Chrysost. (b) Quid igitur mirum, si, velut corpus mortuum, nullo pietatis calore foveam, si putredine dissolutæ conversationis fœteam, & stomachô animæ malè dispositô dulcem meditationis cibum respuam? Ast hoc ipso pharmaco remederi debeo tanto malo.

O Deus! hac sacra meditatione illuminâsti cor meum, ut sciam, quid desit mihi, scilicet sanctum meditationum exercitium, cujus defectu in omni vita mea defectuosus permansi, & defectuosior in dies evasi. Detraham igitur hoc negligentiæ velum capiti meo, & in lege tua meditabor die, ac nocte. Tu Domine! ostende mihi faciem tuam, ut in meditatione mea jugis exardescat ignis, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(b) *Ser. 1. & 2. de Orat.*

Statio VII.

JESUS iterum ſub Cruce concidit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

QUò majori virium debilitate laborabat Deus, eô majorî crudelitatis efferatæ argumentô in eum ſæviît inſana Judæorum, & lictorum truculentia, uſquedum inceſſabilibûs fuſtigationibûs, violentîs tractionibûs, blaſphemiîs, & contumeliîs innumeris laſſus ſuccumberet Agnus.

Grandis injuria! eam potuit Dominus ulciſci, non verò voluit. Injuriam, ut puto, mihi illatam, ego ulciſci non poſſum, & volo. Mille occaſiones ultionis quæro, vindictæ flammam ſub cinere gliſcentem circumfero, ut data opportunitate erumpat in incendium. Perpende, quisquis es, an gravior ſit injuria tibi, ſervo indigno, an Domino tuo altiſſimo illata, & quidem à temetipſo? qui (ùt benè nôſti) perſæpè indigniſſimîs modîs Deum tuum tractâſti. Quid? ſi ille vindictam meditaretur, ſi irreconciliabilem ſe tibi exhiberet, quàm miſer, quàm abominabilis eſſes? tu debes Deo centum talenta; & eorum dimiſſionem flagitas, ac obtines: debet tibi conſervus tuus unicum: & tu illud absque miſericordia exigis? in gratiam Dei condona, & vade reconciliari fratri tuo: non politiæ, ſed charitatis fraternæ affectus ei exhibe &c.

Tu, ô Domine! dignus es, ut omnem injuriam, & quidquid proximus meus in me deliquit,

ptopter te dimittam ; ſicut & actu ex corde dimitto omnibus, & ſingulis, qui quoquo modo me offenderunt. O Pater æterne ! dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

Statio VIII.

Mulieres flentes ſequuntur JESUM.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

MUlieres intuitæ ſunt Chriſtum patientem, & tanto commiſerationis affectu commotæ ſunt, ut, cùm aliud, quod ei pro ſtupenda charitate, ac patientia redderent, non haberent, luxerint eum, & fleverint ſuper eum. Promptam nimirum ſequelam, & lacrymas reddidêre.

Ego Chriſti patientis exemplô, & mulierum fletu non commoveor, non intueor. Non cogito, non computo mecum ſumptus, quibûs aut peccata mea ſtetère Deo, aut quibûs ea redimere poſſem. Ego ſemper dico : volo amare Deum ferventiùs : volo ejus amariſſimam Paſſionem deflere frequentius : volo me emendare ; nolo ampliùs peccare. Interim in effectum non tranſit voluntas illa inefficax ; quia occaſiones id præſtandi non inquiro, aut ultrò oblatas, paſſim negligo. Quid ? ſi Filius Dei dixiſſet ſolummodo : volo hominem

minem salvare : volo pro eo pati : volo eum ab æterna captivitate, ab his, aut illis angustijs liberare : quin tamen unquam te salvaret, quin te clamantem ad se, exaudiret ? maneres profectò omnium tribulationum centrum. Quid ergo mirum, si etiam maneas antiquarum passionum, & imperfectionum subjectum ? quid mirum, quòd te mulieres Ethnicæ in lacrymarum devotione, & devotâ Christi comitivâ confundant ? ut corpori satisfacias, in omnem occasionem argus es : ut pro peccatis tuis satisfacias, talpa es. Sed væ !

O JESU ! qui dedisti velle, da etiam perficere. Da ardens perfectionis, & pœnitentiæ desiderium ! da pium affectum, & fervidum effectum : ut ea, quæ agenda sunt, cognoscam, & cognita exequar, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

Statio IX.

JESUS tertiò cadit sub Cruce.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

PEtulantis Judæorum, ac carnificum turbæ is erat jocus, & recreatio, ut JESUM ab uno ad aliud latus impellerent, & in terram prostratum omnium hominum ludibrio exponerent. Crudelis sanè jocus, quo Deus adeò confunditur.

Quanto in his lapsibus dolore regale Christi pectus fuerit diverberatum, ex eo conjicies Religio-

ſe ! quòd & tu, vilis licèt homunico, vehementer te moveri ſentias, & dejiciaris animô, ſi à ſuperioribus tuis à ſtatu honorificentiore ad minus, ùt putas, honorificum, ab alto in profundum, ab exiſtimatione, & hominum æſtimatione dejiciaris, in non nullam confuſionem, & vilipenſionem. Tu profectò ignominiam Crucis Chriſti guſtas, & cum eodem in terram proſterneris. Sed tace cum Chriſto : confide in Deo ; tolerabilis enim eſt lapſus ille : quoniam non manus Judæorum, ſed manus Domini tetegit te. Neque oportet te plus æquo erubeſcere in hoc lapſu ; quia dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit te in ſpem gloriæ ſempiternæ. Hinc lætanter cum Pſalte Regio exclama.

O Domine ! *bonum mihi ; quia humiliâſti me, ut diſcam juſtificationes tuas.* Parum curo, quòd ab homine judicer, aut ab humano die. Dejicere me potes homo ; ſed eſt, qui quærat gloriam meam, ille nimirum, qui humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit, confundar in terra, ut glorificer in cœlis, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

Statio X.

Chriſtus privatur veſtibûs ſuîs.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CHriſtus Dominus, humana in carne DEUS, licèt eſſet Dominus omnium, & dives in

omnes, voluit tamen extremam paupertatem experiri; & ideo vestibûs privari se passus est: imò privari voluit, ut per vestium temporalium dimissionem ostenderet, regnum suum non esse de hoc mundo.

Ego in Ordine Religioso voluntariè passus sum, me sæcularî vestimentô exui, & paupere Religionis habitu indui. An cum vestibus sæcularia exui desideria? an curam carnis? an (quod veri Religiosi est) sine superioris scitu, & facultate ea non procuravi, non retinui, non ambivi, quæ pretiosiora, quæ rariora, quæ mirabiliora, quæ mihi commodiora fuêre. An vilissima elegi tam in cibo, & potu, quàm in supellectili, quàm officijs? an talium privationem, & carentiam, æquô supportavi animô? hoc, si feci, verus in paupertate voluntaria imitator Christi sum: si secùs; sæcularem quidem deposui habitum, sed non animum: Ægyptô exivi; sed ad ollas carnium respexi, & ad insanias falsas. Quomodò posthac amore paupertatis Dei studebo paupertati in mensa, in cella, in habitu, in affectu.

O JESU pauperrime! utinam omnes hujus mundi thesauros haberem! non quidem ut eos possiderem; sed ut propter te relinquere valerem. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? O DEUS! in cœlo volo tuam gloriam: & in terra illud V. Bedæ. *Pauper in cella, & dives in conscientia*

tia, ſecurior dormit in terra, quàm aurô dives in purpura. (c)

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere meí.

(c) *in 2. ad Corint.*

Statio XI.

Crucifixio Chriſti.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

AMore mei Chriſtus Dominus ſe paſſus eſt Cruci affigi tremendô Martyriô.

Ingenuoſus amor eſt, varia excogitat media, quibûs non intermorituram amati memoriam conſervare valeat. Amici defuncti cadaver non nemo, in cineres redactum, impoſuit clepſydræ, ut ea ante oculos poſita continuo fluxu dulcem amici memoriam diffluere non ſineret. Et quis credat, officioſum adeò amorem naturalem eſſe, ut ſupernaturalem Dei amorem amandô ſuperet? Chriſtus JESUS incomparabiliter ingenioſiorem in mei amore ſeſe exhibuit. Ipſe omnes vitæ totius annos, univerſos annorum dies, dierum horas, & horarum momenta meæ ſaluti, mei ſacravit amori. Et tantus iſte amor cùm ſit, quàm raro, eheu! quàm rarò à me recolitur. Quid autem deinceps fiet? ſcio, quid faciam: ſacras haſce ſtationes, quæ univerſæ paſſionis quaſi compendium ſunt, clep-

ſydræ locô ante oculos poſitas, frequenter intuebor, & amorem amori, lacrymis lacrymas, morti vitam offeram, ſecuturus monitum Doctoris Seraph. *Semper, & ubique in omnibus Dominus noſter JESUS Chriſtus, pro peccatis noſtris crucifixus occurrat.* (*d*)

O JESU! tu totus mihi figaris in corde, qui pro me totus fixus es in Cruce, ut eò uſque tibi compatiar, donec terrenarum voluptatum gaudia mihi perfectè deſipiant: & ibi ego vivere incipiam tibi, ubi tu pro me mori dignatus fuiſti, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*d*) *in ſtim. Amor. c.* 7.

Statio XII.

Chriſtus JESUS in cruce exſpirat.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

Filius Dei in Cruce poſt trium horarum crudele ſupplicium, præ dolorum vehementia & dulci amoris tyrannide, extremum duxit ſpiritum.

Recogita ô anima Religioſa! JESUS tui amantiſſimus, non tantùm (ùt in præcedente ſtatione agnoviſti) perpetuum ſui amoris pignus, & memnoſynon, in ſacris hiſce ſtationibus tibi relinquere, ſed & mutui amoris ſignum à te re-

cipere

cipere, & retinere dignatus eſt. Quod illud profectò non aliud, quàm ſacra, quorum tu cauſa es, vulnera. *Ecce!* ait (e) *in manibus meis deſcripſi te.* Imò non tantùm in manibus, ſed & in corde meo tui amoris ſignaculum poſui, aperturam lateris mei. Aſt qualia ego reciproci amoris ſigna oſtendere poſſum Salvatori meo! ego non tantùm manus non habeo vulneratas, ſed omnino vacuas, de quibus meritò conqueri poteſt Salvator meus: (f) *non invenio opera tua plena.* Et: *non eſt, qui recogitet corde.* (g) Eheu! Deum, qui me creavit dereliqui, & oblitus ſum Domini Salvatoris mei. O ingratitudinem infinities deteſtandam, ſed & emendandam!

O Domine! *quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* (h) Hîs nimirum plagatus es in domo eorum, non qui diligebant, ſed quos tu dilexiſti, & attraxiſti miſerans. O JESU! tale ſtigma imprime cordi meo indelebiliter, ut non poſſim tui non recordari: ut à tui amore deſiſtam nunquam: ut non in Cruce, ſed in igne amoris tui moriar, & per manus tuas, in quibus me deſcripſiſti, ſcribi merear in libro vitæ, in libro te diligentium, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(e) *Iſa. cap.* 49. (f) *Apoc.* 3. (g) *Jerem.* 12. *v.* 11. (h) *Zachar.* 13. 6.

Statio XIII.

Corpus Christi sinu Matris Virginis excipitur.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

EXtremis in afflictionibus hæc erat consolatio Matris dolorosissimæ, quòd Corpus Filij sui dilectissimi, de Cruce depositum, in sinu suo fuerit collocatum. Deipara nimirum Virgo est sponsa illa amantissima, quæ Cant. 1. exclamat: *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur.*

O anima Religiosa! utinam dilectus ille tuus pro te passus, pro te mortuus, jugi compassionis affectu in corde tuo commoraretur! & sequere monitum S. P. Bernardi, te sic alloquentis: *Tu quoque, si sapis, imitabere Sponsæ prudentiam, atque hunc Myrrhæ fasciculum de principali tui cordis nec ad horam patieris avelli. Amara illa omnia, quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione revolvens, quo possis dicere & tu; fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* (i)

O JESU! da ut memoriâ memor sim tui, pro me passi, & mortui. In amaritudine tuæ Passionis, amara mihi dulcescant omnia: afflictiones omnes, Religiosa onera, pœnitentiæ, & mortificationum rigor, recreent me in odorem suavitatis, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(i) *Ser. 43. in Cant.*

Statio XIV.

Sepultura Corporis Christi.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

CUm lacrymis copiosis, & luctu inæstimabili tam Matris Virginis, quàm Discipulorum, ac Discipularum Christi Corpus ejus sacratissimum sepulturæ mandatur, & cum eo amantium corda, præ mærore diffluentia.

Quid putas? Religiose! an, ubi corpus tuum (fors proximè) sepulturæ traditum fuerit, futurus sit, qui illud lacrymis comitabitur, & deplorabit? crede sis: nemo multum lugebit, nemo deplorabit, præterquam tu solus. Tu, tu sanguineîs, & irremediabilibûs deplorabis lacrymîs, quòd tempus acceptabile, dies salutis, momenta æternitatis, neglexeris: quòd negotijs, & occupationibus vanis plurimùm: negotio autem omnium negotiorum maximo minimè intenderis. Lugebis, laboribus tuis, & studijs, vanos fines fuisse præfixos: lugebis, tempus, quod in vivis male impendisti, non esse amplius; sed adesse noctem, in qua nemo potest operari. Hi, & similes luctus, nè post mortem obruant, luge modò, & verîs pœnitentiæ lacrymis, singultibúsque, Salvatoris tui monumentum perfunde, & sepulchrum aromatiza.

O Christe JESU! qui pro me fleat, qui pro me lugeat, qui pro me luat in æternitate, nemo est

eſt. Ut quid ergò mea hominibus, aut vanitatibus, & inſanijs falſis obſequia conſecro? cur non laboro pro itineribus æternitatis? ah! otioſus ſteti toto anteactæ vitæ tempore: reſiduum ſaltem tibi conſecro. Obliviſcatur mei mortalis homo: tu modò mei recordare, cui poſthac laborabo, vigilabo ad ſepulchrum.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XV.

Triumphus Sanctæ Crucis.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CRux Chriſti via eſt ad cœlum: qui Crucem invenerit, de via ſecurus eſt: modo crucem non deſerat, nè à via aberret.

Per orbem Criſtianum ſolent erigi ſigna Crucis ſecùs vias, & compita, ut rectam itinerantibus viam indicent. Tale ſignum erexit Chriſtus, ut rectam viatoribus cœli commonſtret ſemitam. Errat, quisquis à via Crucis aberrat; hoc docuit Chriſtus: hoc prædicavit Paulus: hoc credunt Chriſtiani. Et tamen, quis eſt, qui viam quærat Crucis, viam amet mortificationis? hinc conqueritur Chriſtus (k) *quomodò tu aliam viam quæris, quam hanc viam Regiam, quæ eſt via S. Crucis?*

O Domine! gratias ago tibi immenſas pro eo, quòd mihi viatori rectam ad patriam viam

in ligno S. Crucis ſignaveris. Hæc igitur non recedet à corde, & oculis meis, ut cum famulo tuo, per omnia tentato, dicere poſſim: *veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus: viam ejus cuſtodivi, & non declinavi ex ea.*

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(k) *Apud Thom.Kem. l.2. de Imit. c. 12.* (l) *Jobi c. 23.*

PRAXIS V.

Statio I.

Injuſta Pilati ſententia.

℣. Adoramus te ſanctiſſime Domine JESU Christe, & benedicimus tibi!

℟. Quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

PIlatus Chriſtum à morte liberaturus voce impia populi ſe vinci paſſus eſt: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* (a)

Religioſe! hoc tibi dictum exiſtima: ſi hanc dimittis tuæ humiliationis &c. occaſionem, non es amicus cœleſtis Cæſaris, tuam quærens gloriam, & non JESU Chriſti. At cave! ne tibi eveniat, quod Pilato, nimirum: *Gloria eorum in confuſione ipſorum* (b) Ad hæc: tentaris vindictæ, ac iræ ſtimulis, luxuriæ pulſibus cola-

phizaris &c. ? ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Quid ? ergo non eſt dimittendus ſpiritus iræ, aut ſtimulus carnis, angelus Sathanæ ? non ; ſed tolle, tolle, crucifige eum ; ſi enim permiſeris impunitum abire, redibit ſæpius, impellet graviùs, radicabitur firmius, cauſabitur habitus. Et quid ex habitu ; niſi frequens ruina, lapſus quotidianus, inimicitia cum Divino Cæſare ſempiterna ? Apprehende igitur, & exentera hunc piſcem ! néve te devoret, crucifige eum. Feciſtíne hactenus ? Ah ! minimè. Quid poſtea facies ? qua occaſione ? &c.

Da, ô Domine ! ut, qui te per vitia mea quaſi captivaveram, dimittam liberum ; & memetipſum cum vitijs, & concupiſcentijs meis in tuam redigam captivitatem, & vinculis charitatis adeò fortiter adſtringam, nè memetipſum mihi dimittam unquam, & inimicus tuus denuo evadam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(*a*) *Joan.* 19. *v.* 12. (*b*) *ad Phil.* 3. *v.* 19.

Statio II.

Chriſtus Crucem ſuſcipit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

JESUS Chriſtus innocentiſſimus Crucem confuſibilem, & opprobrioſam, ad quam ab impio

pio judice Pilato fuit injuſtiſſimè condemnatus, cum gaudio in ſacroſanctos ſuos elevat humeros.

O Religioſe! imponitur tibi Crux à Deo, & luges, turbaris, eam ferre detrectas, & mirum in modum conquereris, & dicis: non recuſo Crucem, quæ à Deo venit: ſed quod hanc injuriam ab illo homine patiar: quòd per calumniam inimicorum meorum ab officio depoſitus, honoris, famæque diſpendium incurrerim: quòd alijs poſtponar, & quaſi vilipendar, hoc intollerabile mihi accidit. Ain verò tu? numquid non innocens fuit DEUS! & tamen per calumniam, & invidiam illorum, quos filios ſuos vocare ſolebat, accuſatus, traditus, & ab homine flagitioſo condemnatus eſt, cum ingenti dedecore ſuæ Regiæ Majeſtatis, & Prophetalis dignitatis. Aſpice igitur in Authorem & Conſummatorem JESUM, & unà cum eo Crucem millies promeritam humiliter ſuſcipe, undecunque demum tibi advenerit, ſive à Deo, ſive ab homine, ſive à diabolo; certum enim eſt, quòd absque DEI nutu non acciderit.

O JESU adjuva me! ut deinceps tantùm amem Crucem, quantùm eam hucuſque odio habui. Inſurgent homines, armentur detractores: frendeant dæmones, plus non efficient, quàm ut concupito Crucis amplexu potiar, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio

Statio III.

Virtus Dei infirmatur primò ſub Cruce.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

AFlictiſſimus Salvator, verè vir dolorum immane Crucis, quo premebatur, pondus & brutalem lictorum truculentiam, ulteriùs humanîs viribûs, ferre non valens, tremendo lapſu ad pedes eorum corruit, exoraturus forſitan, ut poſita feritate paulò mitiùs ſecum agerent,

Anima Theophila! ſi coram vidiſſes deteſtandam illam, qua in JESUM ſæviebatur, crudelitatem carnificum, ac rabularum: an cohibere te potuiſſes, quin ſanctâ exardeſcens iracundiâ aut in eos irrueres, tantámque vindicares injuriam: aut ſaltem Auhor fuiſſes, ut humaniùs cum Deo tuo ageretur? O utinam non pœniteat te præconcepti fervoris! Ecce! non carnificum tantùm, ſed & Indomitarum paſſionum tuarum pedibus ſubeſt, & malè ab eis torquetur, conculcatur, & affligitur. In te ipſum ergo ſancta excandeſce iracundiâ: accurre ad JESUM, Crucem ex humeris ejus in tuos leva: paſſiones tuas trucida, aut, ſi mavis, crucifige, vel ſaltèm in tantum cohibe, ut ad gravem lapſum denuo non impellant JESUM.

O Domine! novi, quia verum eſt, quòd facienti, quod eſt in ſe, Deus non deneget gratiam. Amodò faciam, quod eſt in me, paſſiones meas coarctabo; &, ſi iræ ſtimulîs, aut vindi-

vindictæ, motus fuero: eam de me ſumam, qui meimet inimicus ſum, ut tuus fiam, ſim, perſeverem amicus, & filius, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio IV.

Mater vale dixit Filio.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CUi comparabo te, aut cui aſſimilabo te Mater, Filia Sion? vale dicis Nato, ad extremum ſupplicium ducto, Deo tuo ſuper omnia dilecto. O dolor! ô gemitus! ô tormentum! ô valedictio!

Recogita anima mea! quales quantósque Mater Dei ſacratiſſima immaculatiſſima Deóque gratiſſima debuerit ſuſtinere dolores, cruciatus quantos, qualia tormenta. Et quis ego ſum in comparatione Virginis Matris? Ego qui ſum mille mortes meritus, flagitioſus peccator, & vixhomuncio: ego ferre nihil volo: exemptus cupio eſſe ab omni afflictione: omnia, quæcunque corpori arrident, ſectari deſidero, & mihi perſuadeo, absque Cruce me vivere poſſe. Prô pudor! Mater Dei à lege Crucis ferendæ, & ſentiendæ libera, & exempta non fuit: qua ergo arrogantia id mihi privilegij arrogo? ſi Mater Dei exempta non fuit à Crucis paſſione: anne ego exemptionem prætendam? ſi verò ejus-

mo-

modi exemptionem non prætendo : cur in obvia quaque adverſitate oneratum me reputo , & Crucis pondus excutere ſatago ? certè eò uſque inſanus proprii , & carnalis commodi me adegit amor, ut ego mancipium plus privilegii prætendam , quàm cœli Domina, & Regina. Abſit hoc ſtultitiæ genus à me.

Domine ! qui Chriſtianos tuos omnes vis eſſe Crucis guſtatores , & ideo nec pepercíſti Matri tuæ : ecce, ego mancipium , ego ſervus tuus, & filius (utinam non degener) Ancillæ tuæ, me paratum offero ad omnem Crucem , ſive eam per verba, aut opera, ſive per amicos, ſive inimicos ferre habeam : paratum cor meum Deus, paratum cor meum.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

Statio V.

Simon Cyrenæus ferre Crucem cogitur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

RElućtabatur quidem ab initio Simon , & admodùm ægrè tulit poſt JESUM Crucis pondus : at poſt modicum temporis ſpatium adeò invaluit amor Crucis in corde ejuſdem , ut etiam poſtmodùm illuſtrî martyriô eum ſtabiliverit.

Ità eſt mi Religioſe ! (*c*) orationi , & pſalmodiæ inſiſtere, lećtioni vacare , vigilijs , jejunijs,

Juniis, cæterísque virtutum exercitiis inhærere, quousque in consuetudinem vertantur, laboriosa videntur: cùm autem in consuetudinem versa sunt, & non humanis viribûs, sed Dei auxiliô impleri creduntur, non dura, nec laboriosa, sed levia atque suavia sentiuntur. Expertus hoc est Simon Cyrenæus, experti alij sexcenti: experieris & tu, si *(d)* (ùt Eusebius monet) maximè studueris, ut illa, quæ in DEI honorem agis, cum claro agas animo, cum fidei gaudio, atque cum bonæ, & devotæ voluntatis affectu: siquidem quidquid inviti, compulsíque facimus, ex eo non solùm nullum habemus fructum; sed etiam maximum incurrimus detrimentum. Disce ô Religiose! unde proveniat, quòd tibi communia Religiosæ disciplinæ exercitia gravia videantur: nimirum, *quia invitus, compulsúsque ea facis.*

O Domine! fateri cogor, onus Religiosæ observationis hactenus mihi visum est perdifficile, quia invitus illud sustinui. Cogat me jam amor tui, ut propter te promptô, & alacri animô, eidem me subjiciam, & ejus sentiam suavitatem: quoniam amanti nihil est difficile.

Pater, & Ave.
O Amor Crucifixe! miserere mei.

(c) S. Cæsarius apud Dion. Carth. ser. ult. in Dom. 6. post Nativ. (d) Apud cit.

Statio

Statio VI.

Veronica offert Christo sudarium.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

OCuli illi, quorum intuitus Divo Petro paulò antè amaras expressit lacrymas, livore, sanguine, & sordibûs adeò concreti fuêre, ut apperiri, & respicere, ac respici non possent. Hoc indignè ferens Veronica, cum velo accurrit, ac eos purificat. Mercedis locô effigiem Divini vultûs sudario impressam refert.

Parem Divini vultûs & effigiem, & intuitum meretur anima illa, quæ frequenter Dominum suum in via Crucis contemplatur, ac suæ memoriæ omnes Christi passiones, sudores, & angores, sedulò imprimit. Per hoc enim fiet, ut majorem tibi vim inferas, mortificationes sitias, passionibus domineris, cruces omnes, & universas tribulationes generosè perferas, & generosius tuimetipsius victor immarcessibilem victoriæ laureolam emeraris. Ah! quoties, & quamdiu comparendum est in atrio Principis cujusdam potentis, donec ejus alloquiô, aspectúve frui licet. Summus autem Monarcha Christus JESUS te ipsum exspectat in atrio, in sacris stationibus, suô non tantùm beatificô alloquiô, sed & aspectu, ac gratiâ gratum faciente beaturus. Quid ergò moraris? quin accurre, & frequenter eum affectuosa compassione salutato.

Domi-

Domine! oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. Oſtende faciem vulneratam, ut mea curentur vulnera : oſtende faciem livore tabidam, ut tabeſcat in me anima mea præ compaſſione : oſtende faciem tuæ miſericordiæ, ut cum Petro converſus exeam foras, & fleam amarè ſuper peccatis meis, & doloribus tuis, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

Statio VII.

Chriſtus denuò in terram cadit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

AD portam Judiciariam, quæ ducebat ad montem Calvariæ, JESUS denuò viribûs privatur, & horribili lapſu in terram colliditur.

Quænam putas, hujus tremendi lapsûs cauſa extitit ? Ait non nemo, cauſam fuiſſe hanc, quòd eminùs conſpexerit montem Calvariæ, ſimúlque mente vivaciter apprehenderit in eo ſe extremam Divinitatis ſuæ paſſurum injuriam, ignominiam, cum latronibus, furibus, & ſceleratiſſimis quibusvis deputationem, ingratitudinem denique ineffabilem ; quòd in mercedem omnium laborum, dolorum, ſudorum, ærumnarum, & graviſſimorum pro hominis ſalute exantlatorum tormentorum, in ligno infami ſuſpendendus eſſet, ac inter maledicta, & blaſphemias moriturus. Ecce ! hæc omnia, aliáque adhuc longè pejora pro te ſuſti-

nuit Deus tuus : & quam illi gratitudinis vicem rependiſti ? Peſſimam ſanè ! offendiſti quotidie, ceſsâſti nunquam : ad mortem condemnâſti, Crucem impoſuiſti, ad lapſum impuliſti, blaſphemâſti, contempſiſti, occidiſti. (e) *Populeſtulte, & inſipiens ! hæccine reddis Creatori tuo ?*

Vah me turpiſſimum ingratitudinis monſtrum ! gratior, ô Domine ! gratior ero tibi per frequentem tuarum paſſionum memoriam : per ferventiorem vitæ emendationem : occaſionum fugam, & ſeriam propoſitorum bonorum executionem. *Dixi : tunc cæpi.*

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(e) *Deut. 32.*

Statio VIII.

Piarum planctus Mulierum.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

IN magna cordis triſtitia piæ illæ mulieres ſecutæ ſunt Dominum patientem.

Optimum ſanè conſilium, & in conſilio remedium ! quod & Divus Auguſt. ſecutus eſſe noſcitur : *cùm me pulſat* (ait) *aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Chriſti : cùm me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini reſurgo : cùm diabolus mihi parat inſidias, fugio ad viſcera miſericordiæ Domini mei, & recedit à me : ſi ardor libidinis mo-*

veat membra mea, recordatione vulnerum Domini, Filij Dei, extinguitur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi. (f) Desine jam quærere, unde incessanter te molestent turpes cogitationes, premat caro, frequentes tibi paret insidias dæmon, & non raro vincat, quòd ardor libidinis moveat te, & adversitates te opprimant? nimirum non fugisti ad viscera misericordiæ, ad vulnera, ad passionem Christi. Fuge igitur dilecte Religiose! fuge, & confuge ad sacras viæ Crucis Stationes. Hic stationem facere, non est regredi, sed progredi. Hic invenitur medicina tristitiæ, calcar acediæ, &c.

Domine! dum in hujus vitæ militia variîs cum hoste multiplici conflictionibûs velitandum est, ad te confugio Dux exercitatissime! ut tuô ductus guberniô, tuô animantus præliandi zelô, tuo confortatus sanguine, *persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant. (g)* Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(f) ex Manual. c. 22. (g) Psalm. 17.

Statio IX.

Tertiò Christus sub Cruce cadit.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

VUlnerum incessanti accumulatione, verberum & tunsionum densitate, viarum asperitate,

ſanguinis effuſione debilitatus Dei Filius iterato lapſu in terram dejicitur; & tamen *velut agnus coram tondente ſe obmutuit.* (h)

Ecce Religioſe! ita cum Chriſto proceditur, & ita à Chriſto tacetur. Tu verò quantùm conquereris, vel minimum quidquam paſſus? ſimilis es illi Seraphici Ordinis Novitio (i) qui à Superiore graviter pœnitentiatus coram Crucifixi imagine in has prorupit querelas: *Ecce Domine! quanta pro te patior.* Cui Dominus dignantiſſimè reſpondit: *Ecce etiam! quæ pro te paſſus ſum:* Noli igitur Superiorum circa te diſpoſitiones ægrè ferre; ſed recogita humilitatem Divini Magiſtri tui, qui etiam te tacitè cum dicto queruloſo reprehendit: tu pro me à Superiore tuo (nè dicam à confratre tuo) ferre nil potes: & ego pro te, à temetipſo talia, tantáque pertuli. *Ecce quæ ego pro te paſſus ſum.*

Domine Deus meus! utique ego fui hactenus multum impatiens, & rarò ad exemplum tuæ patientiæ reſpexi. Impoſterum autem in omnibus, quæ mihi adverſa accidunt, ad te me convertam, & illa ſæpiùs verba auribus animæ meæ illabi ſinam: *Ecce! quæ Filius Dei pro te paſſus eſt: Ut quid igitur tu pati refugis?*

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(h) *Iſa.* 53. (i) *Lucas Wad. in Chron. Ord. Seraph.* *to.* 2. *Anno* 1252. *n.* 47.

Statio

Statio X.

Violenta Christi nudatio.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

PRiusquam Christum Cruci affigebant carnifices, summâ ei immanitate vestes diripiunt. Nimirum ad mortem, ad Crucifixionem sic se præparat Christus, ut nihil hujus mundi, nec vestes quidem retinere velit.

Status Religiosus est status mortis, in quo mundo, carni, & diabolo moriendum est : est stado, carni, & diabolo moriendum est : est status crucifixionis, in quo caro propria (quomodocumque ringatur, horreat, & misericordiam suadeat impiam) caro, inquam, crucifigenda est cum vitijs, & concupiscentijs suis. Ergo vestimenta abjiciat Religiosus, necesse est, vestimenta, non Religiosa, sed sæcularia, puta, ambitionem, desiderium terrenorum, vanum hominibus placendi desiderium, & quidquid ineptiarum cosmophilo adhæret. His omnibus moriatur adeò, ut omnes, qui non sunt JESU Christi, eum despiciant velut cadaver alicujus defuncti, velut hominem insipidum, scrupulosum, melancholicum &c. Hæc & similia prædicata Regnum Crucifixi prætendunt titulum. Tu verò tantum id genus titulos horres, quantùm ipsam crucis mortem.

Ità est mi Domine ! tanta me tenet vesania, ut amator mundi audire malim, aut saltem esse, quàm coram te magnus heros. Sic nimirum studeo pla-

placere Deo, ut non displiceam mundo, carni, & diabolo. O me Religiosum irreligiosum! maledicta hæc vestimenta, ô JESU! à me per gratiam tuam abripe, ut ad Crucis mortificationem dispositior evadam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio XI.

Crucifixio Christi.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

SUmmâ vî in Crucem injectus Salvator, manus, pedésque porrigit tremendîs malleorum ictibûs conquassandos, & grossissimîs clavîs perforandos.

Audi, ô anima Religiosa! terrificos illos malleorum ictus, & horrisonam clavorum resonantiam. Audi! obstupesce! & erubesce, quòd delicatulus adeò sis, ut vel leve Religiosarum exactionum jugum fastidias. Ah! quæso te, confortare, & esto robustus, tibíque illud usurpa, quod (k) Christus ipse, Joanni de Icontris, ab aratro Religioso, suscepti Ordinis Augustiniani manum retrahere cogitanti, aperto latere visibiliter apparens, dixisse perhibetur: *Fili! ubi cibus tibi minùs sapidus, lectus durior, nocturnæ vigiliæ, meis concinendis laudibus constitutæ molestiores fuerint, ingredere vulnus hoc, & intinge illa in Divino Sanguinis mei condimento; & cælesti tibi suavitate dul-*

dulceſcent. Ah Religioſe ! ſi quid Religioſæ auſteritatis tibi non ſapit : ingredere fixuram clavorum Salvatoris tui, & in Sanguine illius idipſum intinge : & cœleſti tibi ſuavitate dulceſcet, excutietur tepor, excitabitur ardor.

Chriſte JESU ! rogo te demiſſiſſimè, ut Divinô ſanguinis tui condimentô pariter aſpergas religioſas meas obſervantias, quæ carni meæ refractariæ videntur valde amaricatæ, adeó, ut Præſumat aggravare animam, eámque ad ſimilem teporem inducere. Voveo, & promitto tibi Deus meus ! novo ſpiritu obſervare Regulam &c.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(k) P. Kybler in ſpeculo mirac. part. 2. f. 885.

Statio XII.

Mors Chriſti in Cruce.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CHriſtus JESUS tanquam noviſſimus virorum, cum latronibus deputatus eſt, & in medio eorum ſuſpenſus, exhalavit animam.

In medio duorum latronum pendet, quorum unus blaſphemiîs eum impetebat, alter verò deprecabatur. Latro ille ſiniſter, & reprobus eſt corpus meum : latro autem dexter, & probus eſt anima mea. Vah ! quoties blaſphemavit Deum latro ſiniſter, corpus meum ? ſi deinceps in ſimiles

les blasphemias gestit erumpere, volens abire post concupiscentias suas, fastidiens omnes mortificationes, & nolens aliquid sustinere, patíve, omnémque Crucem respuens, coarctetur, & à latrone dextro, id est, ab anima Religiosa reprehendatur: *Nos quidem digna factîs recipimus: Hic verò nihil mali gessit.* (l) Ego minora meritîs tormenta sustineo, & conqueror. JESUS innocentissimus majora latronibûs tormenta patitur, & silet. O Religiose! si in adversitatibus, aut humiliationibus fœdum conqueritur corpus, reprehende illud, dicens: *Nos digna factîs recipimus.*

Utique ô Redemptor mi! digna factîs recipimus, dum nos adversitatibus, sinistra valetudine, hominúmve odiô affici permittis; & tamen latro ille pessimus, rebelle corpus nostrum, te, omnis boni Largitorem, suâ impatientiâ, tristitiâ, & querimoniâ blasphemare præsumit. Da, ô Domine! vires, ut anima mea carnificis functura munere, sacrilegum hunc latronem in crucem agat, ut in ea moriatur, & spiritus salvus sit, atque cum latrone pœnitente quondam ex Divino ore tuo audire mereatur: *Hodie mecum eris in Paradiso.* (m)

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei

(l) *Luc. 13. 41.* (m) *Luc. 23. v. 43.*

Statio

Statio XIII.

Depositio Christi de Cruce.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

CORpus Redemptoris mortuum de Cruce deponitur, & ad sinum Virginis Matris deportatur, ut requiescat à laboribus suis.

Consummatîs omnibûs, & ipse JESUS consummatus est, ac post tringinta trium annorum ærumnas, Cruces, tribulationes, labores, & sudores semel introivit in sancta; quia sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Et ego quid patior? aut si patior, an tamdiu patior? vel si tamdiu: an tanta patior? Ah patere Religiose, patere! passiones tuæ æternum gloriæ pondus operabuntur in cœlis, & brevi omnis consummationis videbis finem. Rex Saul ultra bis mille annos infernum patitur: & quamdiu infelix Cain? patiuntur hi absque consummatione, sinè spe præmij: tu verò post pauculos annos educeris in refrigerium. Operæ igitur pretium erit, ut pro unius diei labore mille annorum quietem, pro unius horæ confusione, aut passione æternùm duraturam compares gloriam.

O MARIA! quæ constantî animô passiones, & mortem Filij tui in Materno corde tuo pertulisti, & ob hanc causam ejusdem sempiternam hæreditâsti gloriam: impetra mihi gratiam, ut consimili fortitudine adversa omnia feram, & patiar

ut consummato vitæ cursu immarcescibile consequar bravium sempiternæ hæreditatis, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei

Statio XIV.

Sepultura Christi.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

ALiorum defunctorum more ad sepulchrum defertur Corpus Domini pro nobis mortui. Putásne in hoc Sepulchro ejus quoque memoria recondetur, & abscondetur ? Minimè gentium.

Claudi potuit corpus JESU lapide sepulchrali : non autem ejus Resurrectio, gloria, & reviviscentia impediri. Eheu ! si ego mortuus fuero, & tumulatus, ubi erit gloria mea ? ubi celebritas nominis ? ubi memoria ? Nullibi sanè. An fors in ore hominum ? sed quid prodest, si anima peccatrix sit in ore Dæmonum ? Fortassis in scriptis, & libris ? sed timendum, nè, quot characteribûs constant, tot contra me clament linguîs, quòd in ipsis tantùm meam quæsiverim gloriam : quòd multùm laboraverim pro vanitate, pauca pro æternitate : multùm pro inferno, pauca pro Deo. Eliminandæ igitur hujuscemodi sinistræ intentiones, & substituendæ sanctiores, nê quondam audire cogar : *recepisti mercedem in vita tua.* (*n*)

Absit hoc à me, quàm longissimè ! tanti pœni-

tere

tere non emo ! aliud exſpecto operibus meis futurum prœmium, nobiliorem laboribus meis mercedem. Æternitati laboro. Tu, ô Domine ! concede propitius, ut omnis vana, inordinatáve affectio nullum in corde meo inveniat diverſorium, nec oculus intentionis ſiniſtræ totum obſcuret corpus meum, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(*n*) *Matth. 6.*

Statio XV.

Helena cum ſancta Cruce.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

SAncta Crux eſt arbor illa, quæ magnam habet antipathiam cum ſerpente illo maledicto, qui in ligno Matrem noſtram circumvenit.

Appoſitè hic recordaberis ſancti cujusdam figmenti. (*o*) Amor Divinus obviabat quondam amori profano mœrens, & lugens. Cauſam roganti profano amori repoſuit : dolore conficior, quòd ego, Divinus cùm ſim, omnî humanô excludar diverſoriô : tu econtrà, impius cùm ſis, & vanus, in omnium cordibus dominatum exerceas. Hîs dictîs ſanctâ excandeſcens vindictâ, profanum illum amorem ad lignum crucis vinculabat : qui crúce vix tacta emortuus eſt. O Religioſe !

fac

fac, ut hæc fabula in te hiſtoria fiat, non enim in eo poteſt ulterius vivere amor mundi, cui mundus crucifixus eſt.

O Domine! tua mihi commoda vincula & funes, ut ego comprehendam improbum mundi, carnis, & mei ipſius amorem, illumque irreſolubili nexu ſanctæ tuæ Cruci alligabo, ut tuus ſanctus amor ſupremum in corde meo exerceat dominatum, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(o) *P. Spee in aureo virtutum lib. 3. c. 18. n. 9.*

PRAXIS VI.

Statio I.

Injuſta Pilati in Chriſtum ſententia.

℣. Adoramus te ſanctiſſime Domine JESU Chriſte, & benedicimus tibi!

℟. Quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

NOn ſufficiebat brutali Judæorum barbariei JESUM flagellis conciſum aſpicere; etiam Crucifixum videre deſiderant. Ideo Pilatum urgent, ut reum mortis proclamet; quod & ab eodem tandem impetrârunt.

Si Pilatus Chriſtum, licèt innocentem, flagellâſſet tantùm, utique minùs ei indignareris, dicerés-

cerésque forſitan, eum non nihil miſericordem fuiſſe erga JESUM. Dum verò illum ad mortem omninò condemnavit, iniquiſſimus fuit, & omnium iracundiâ dignus. Miſericors profectò judex eſt, qui hominem capitis damnandum alio non emendaret ſupplicio, quàm jejuniô menſilî in pane, & aqua, aut dietim aliquot horarum precationibûs. Talis Judex Deus eſt. Ego peccator mortem merui ſempiternam; & ad evadendum hoc ſupplicium aliud me non jubet facere miſericors Deus, quàm Chorum diligenter, & ferventer frequentare, caſtitatem, & paupertatem ſervare, ac ſuperiori humiliter obedire, modicam infirmitatem, aut contemptum patienter ſufferre. Ut quid igitur hæc agere, aut pati detrecto?

O miſericordiſſime Deus! qui non tantùm meritiſſimam mortis ſententiam in leviſſimam ſatisfactionem commutáſti, ſed & Filium tuum Unigenitum pro me mori voluiſti: proſtratiſſimo affectu te deprecor, da gratiam tuam ſanctam, ut omnia Religioſi hominis munia quàm ſolertiſſimè exequar, & dignam pro peccatis meis agam pœnitentiam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio

Statio II.

Christo Crux imponitur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CHriſtus JESUS Crucis preſſuram, Crucis confuſionem, dedecus, & dolores cum Cruce gaudenter ſuſcipit, imò amplexatur, & ardentiſſimè exoſculatur, infinities majori affectu, quàm poſtea S. Andreas Apoſtolus, exclamans: (a) *Salve Crux pretioſa, diu deſiderata, & tandem cupienti animo præparata.*

O Domine! quare Crucem tam cordialiter ſuavias? quare eam tam ferventer exoptâſti, & ſtrinxiſti inventam? Omnes SS. Doctores dant pro te rationem; quia ſciebas, æterno patri ita placere; quia me ambas; quia in ea ſalutem meam eras operaturus; & quia per eam me ab æterna damnatione liberare, ſalvare, & glorificare cogitabas. O Religioſe! ſi te premit magna aliqua crux, perturbatúmque, ac deſolatum reddit, animô pacatô ad eam perferendam conſimilibûs motivis temetipſum exſtimula; credíſne æterno Patri placere, ut hanc crucem portes, qui in tua ſibi complacet lucta, & patientia? Si credis: ergo cumChriſto eam libens lubens ſuſcipe. Anne Deum amas pro te paſſum? ſi amas: ergò re vera ſumma decentia eſt, ut, quemadmodum ipſe amore tui Crucem portavit graviſſimam, tu amore ejus portes multò leviorem. Ille alienam, tu propriam in cruce operare ſalutem, & gloriam ſempiternam.

Ità

Ità ô Domine ! me ad patiendum excita, rationibûs illis ſanctiſſimis, ut, ſicut te reddiderunt perfectiſſimum amoris, & patientiæ prototypon; ita me faciant tua veſtigia premere, ut te hic ſequar patientem, & ibi conſequar glorioſum, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(*a*) *in ejus Officio.*

Statio III.

Chriſtus primò infirmatur, & cadit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

DEliquium virium patitur amantiſſimus Salvator; quia undique hoſtilitates, & perſecutiones mortiferas ſuſtinebat, ut verè conqueri poſſet apud Prophetam Regium : (*b*) *Tota die conſtituebant adversùm me prælia : ego autem orabam.*

O Domine ! quis, obſecro, conſtituit tota die adversùm te prælia ? peccator, ais, præſertiùm Religioſus tepidus, qui ſacrilegè perverſis paſſionibus ſuis confœderatus, adversùs JESUM conſtituit prælia. Cur autem, ô bone JESU ! orabas, & non expugnabas impugnantes te ? Intelligo : quia orabas pro delictis, & peccatis meis, quibus in terram proſtratus es. Orabas flexo poplite, & preſſo in terram vultu exorabas Divinam clementiam, ut iram indignationis ſuæ averteret à me. Orabas denique, ut miſerear tui, parcens

animæ

animæ meæ. O Religiose! poterisne aliquid denegare Creatori tuo, tam humiliter supplicanti? quid putas, orat, petítque à te? aliud nihil, quàm ut Superiori te subdas, æquali te inclines, inferiori, aut te lædenti parcas, ac novo fervore Deo tuo inservias. Exaudi ergo tam dignas preces humilis Dei.

O Pater æterne! per reverentiam Filij tui, Salvatoris mei, te obtestor, converte me, & à via peccatorum pessima declinantem tuo Divino obsequio redde incorporatum, ut in militia vitæ præsentis solùm sequar JESUM Christum, quem mihi dedisti Ducem simul, & Magistrum, exemplar, & prœmium, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(*b*) *Psalmô 139. & 108.*

Statio IV.

Tristis Matris Dolorosæ occursus.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

NEque id solatij concesſêre milites efferi, ut Mater Dolorosissima Filio afflictissimo extremum dicat vale; sed crudeli Eam repellebant manu.

Perpende, ô Religiose! quòd Jesus & Maria violenter sejungi debent, aliàs separandi nunquam. Ah! quantus fuerit Eorum dolor? inexplicabilis. Eheu! quan-

quantô igitur torquebantur dolore, dum nullus miles tibi JEſum ademit, ejúsve conſortium; ſed tu per ſummam ingratitudinem eundem vi ex corde tuo expuliſti per peccata lethifera? Ad hæc non receſſit Mater Dei, ſed continuò ſequebatur, premens veſtigia JESU, quàm proximè licuit: & hoc ideo, quia amabat. Tu verò cum Petro ſequeris à longè, languidè, & tepidè. Et, ah, utinam non omnino defeciſſes! Quid facies igitur deinceps? Deum ſequeris proximè, ut videas, quid patiatur. Quomodo autem videre potes, ſi viam Crucis nunquam obeas, de paſſione Domini raro mediteris? Qui amans eſt, amatum frequenter ſolet inviſere, & ejus recordatione delectari. Hoc quia tu non facis, apparet, quòd non ſis amans. Fac, fias; & quæ amantis propria ſunt, nunquam non exequere.

O Domine! cum Divinæ gratiæ tuæ auxilio oſtendam deinceps, quòd verè amem te. Quapropter jugiter memoriâ memor ero tui, tuæque amariſſimæ paſſionis: frequenter ad te inviſam in via Crucis, ut in hac ſchola perfectionis videam, quid deſit mihi de vero erga te amore: & qua ratione tibi, amori meo, magìs placere, & perfectiùs deſervire, & fortiùs uniri valeam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio V.

Christus admittit Crucis socium.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

NE JESUS moriatur non crucifixus, cogunt Simonem, ut Crucem ipse ferret. Hic verò nolebat, cogitans apud se: ego sum homo innocens: ùt quid ergò Crucem suscipiam &c.

Ego crucem suscipere nolo, etiamsi non sim innocens, sed nocentissimus, & multorum flagitiorum reus, & tamen pati recuso, pœnam aversor, & pro meis peccatis nihil egi hactenus, quod rigori Divinæ justitiæ fecisset satis. Quid jam mirum, si Deus mortificationes (undecunque demum adveniant) mihi immittit, ut, quod per voluntarias mortificationes facere recusavi, invitus patiar? Et in hoc quoque relucet Divina miseratio; quia tribulationes, ac mortificationes à Deo immissæ, (utpote nil propriæ voluntatis habentes) si devotè, & patienter sufferantur, ascendunt coram Deo, sicut virgula fumi ex myrrha, & aromatibus, de quibus Propheta: (c) *Si voluisses sacrificium, dedissem utique cor contritum, & humiliatum.* O Religiose! da hoc sacrificium Deo. Clama, nè cesses: ampliùs Domine, ampliùs! Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.

Domine! qui dixisti: *jugum meum suave est, & onus meum leve*! fac, ut portare istud sic valeam, quòd consequar tuam gratiam. (d) Novi, quòd impunita abire non queant mea, quæ feci, scelera

lera ; satiùs tamen est, ut in vita mea eadem deleam. Da mihi igitur tantùm audaciæ, ut, si tu ea in hac vita plectere nolis per adversitates, ego sponte sim eorum vindex : si verò tu velis ; ut ego libenter sustineam, & gaudenter, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

(c) *Psalm.* 50. (d) *Sacerdos ad casulam.*

Statio VI.

Veronicæ obsequium.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

IN tantum fuit indignissimô prorsùs modô deturpata, & dehonestata facies Christi, ut verissimè conquereretur per os David : (e) *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognosceret me.* Cognovit tamen B. Veronica, & ideo sudariô sordes ejus abstersit.

Nota loquendi modum. Non dixit : *considerabam ad sinistram*, ubi impius latro, ubi Ethnici, & Hæretici, ubi inimici crucis Christi ; sed : *considerabam ad dexteram*, ubi fideles Christiani. Et etiam inter illos *non erat, qui cognosceret me.* Erubuêre meam Crucem, & patibulô magis horruêre crucis viam : (f) *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Sed ignosce mihi, Salvator dulcissime ! patrocinium eorum suscepturo. Irrisiones aliorum timent, & dicteria ; ideo verecun-

dantur in faciem tuam, in via Crucis, respicere. Siccine (reponit Christus) verecundatur me in via Crucis sequi, & contemplari, qui eorum causa non tantùm per viam hanc pœnosissimam ingressus sum, sed & tribûs horîs medius inter duos latrones nudus pependi. Audisti Religiose amaram tuæ excusationis refutationem. Cave, nè tuam in recolenda Passione sua socordiam hîs increpet verbîs: (g) *Vade post me sathana; scandalum es mihi; quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ sunt hominum.*

Christe JESU! qui non erubuisti meæ salutis causa, cum infinitæ tuæ Majestatis verecundia, viam Crucis obire, & mori: concede propitius, ut damnabili rubore spreto in visitatione hujus viæ sim frequens, & sedulus, nè quondam justô tuô judiciô damnatus audire cogar: (h) *Qui me erubuerit, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in Majestate sua.*

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(e) *Psalm. 141.* (f) *Psalm. 13.* (g) *Matth. 16.* (h) *Luc. 9.*

Statio VII.

JESUS iterum sub Cruce prosternitur.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

ITeratîs vicibûs Salvator noster, gravissimè in terram corruit. Si quæras repetitorum

cau-

caufam lapfuum, eam excipe ex S. Evang. (*i*) *Simile eft regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas &c.*

O Religiofe! ideo in terram cadit Chriftus, ut animam tuam, tanquam pretiofam margaritam, optimus ille Negotiator quærat. (*k*) Propter hanc margaritam vendidit omnia, quæ habuit. Vendidit honorem, & famam: vendidit Majeftatem Regiam: vendidit vitam, & fanguinem, ut adeò jure exclamet Apoftolus; (*l*) *Empti eftis pretiô magnô.* Et cum Apoftolo Eucherius: (*m*) *Quàm pretiofus fis, fi Factori non credis, interroga Redemptorem.* Vade, interroga Redemptorem: cur tam horrenda pro te fuftineat? interroga: cur per tot ignominias, dolores, & vulnera, ad montem Calvariæ properet? interroga denique: quare in via Crucis fæpiùs, exanimi fimilis in terram coruat? & refpondebit, hæc ideo fieri: *Quia venit Filius hominis quærere, & falvum facere, quod perierat.* (*n*) Hæc credis; & pro falute animæ tuæ tam parùm folicitus es, nihilque operaris, quod verum indicet animæ, & æternæ falutis tuæ zelum?

O JESU Chrifte! qui, quæfiturus animam meam, non in terram tantùm, fed in profundum amariffimæ Paffionis mare, projici voluifti: excita in corde meo ardentem falutis animæ meæ procurandæ fervorem, & exactam hujus pretiofiffimæ margaritæ cuftodiam: ut in thefauro gloriæ tuæ, pretiô fanguinis tui comparata, collocari mereatur, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(i) Matth. 13. (k) Haymo apud P. Fritſch in manud. ad viam Crucis (l) 1. Cor. 6. (m) apud præcit. exhort. 6. ſ. 1. (n) Luc. 19.

Statio VIII.

Pius Mulierum planctus.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

SEquebantur Chriſtum piæ quædam Mulieres, compaſſivîs lacrymis ejus veſtigia (ringentibûs licèt Judæîs) recolentes.

En ! non ridebant, non jocabantur hæ mulieres ; ſed plangebant, & doloroſè illacrymabantur. Hinc *Filiarum* nomine eas compellavit Salvator, & conſolatoriè eis loquebatur. Sic nimirum plangentes ſolatur DEUS, ùt propriâ novit experientâ, qui dixit : *(o) Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ego autem omnem penitus ex corde meo elimino dolorem, ſanctámque, ac ſalutarem triſtitiam : & conſolationes meas quæro in cibo, & potu, in confabulationibus, recreationibus, & inutilibus occupationibus. Quid ergo mirum, ſi pectus meum duriſſimum æqualem cum montibus Gelboe maledictionem ſuſtineat, & nec plavia, nec ros Divinæ conſolationis, ſuper illud veniat ? parcior ita-

itaque posthac ero in sectandis vanitatibus, & insanijs falsis, partémque temporis, malè hactenus impensi, meis deinceps deflendis peccatis, & negligentijs, ¡Passioníque Dominicæ deplorandæ impendam.

O igitur! quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum, ut diebûs ac noctibûs non cessem tuam, ô Deus! Passionem amarissimam, & meam deflere iniquitatem? O JESU misericordissime! per sanguinea tua te obtestor vulnera, & vestigia, pérque compassivas piarum mulierum (quas inter haud dubiè Mater tua dolorosissima fuerit prima) lacrymas concede mihi donum lacrymarum, & luctûs amorosi, ut post luctuosam hujus vitæ miseriam consolationes tuæ lætificent animam meam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(o) *Psalm.* 93.

Statio IX.

Christus tertia vice cum Cruce cadit.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

VUlneribûs, lutô, sputîs, & sanguine adeò obvolvebantut oculi JESU, ut vix aliquid videre posset. Unde ad saxum in via positum offendens, gravissimè in terram collapsus est.

O afflictissime JESU! quomodo tu poteris cum

graviſſima Cruce Calvariæ montem aſcendere, ſi vel ſaxò offenſus corruis ? Sed amanti, ais, nihil eſt impoſſibile. Hoc autem eſt mirabile prorſus, & incredibile, quòd in vertice montis collocatus, in tuto poſitus, parvô interveniente lapillô, retrorſum decidat, qui ſecurè in altum eluctatus eſt. O Divine Magiſter ! lucem affunde, & profundum hujus parabolæ declara. Religioſus, inquis, eſt, qui fortiter abdicatîs ſæculi voluptatibûs, variíſque deliciarum ſaporibûs, fortis fuit adeò, & pernix, ut dulces affectus, jucundiſſimos piorum vultus parentum fugeret, quaſi odiſſet : qui bellum pietati ingenitæ quodam modo indixit, & in abdicanda ſæculi voluptate, tam magna promiſit, ut verticem perfectionis, quaſi præcoci volatu conſcenderit. Aſt in hoc ipſo montis perfecti vertice ad lapillum offendens retro cecidit. Tales lapilli ſunt *(p)* paſſiones venenatæ, ſuperbiæ, iræ, impatientiæ, & quidquid ad expugnandas negligentias, ad declinanda leviſſima vitia, nos debiles efficit. Superavimus montem, ingentia Religionis vota nuncupandô : offendimus ad lapillum, auſi obtrectare, propter vilia commoveri, iraſci in fratrem, ſcandalizare, & ſcandalizari.

O JESU ! ego tua inſpirante gratia magna promiſi, & in minoribus eò uſque non conſiſto, ut iiſdem non dejiciar. Ah ! rogo te affectu verè humili, ut, qui dediſti mundum, carnem, & diabolum ſpernere, des & levia ſuperare, tantúm-

túmque concede luminis, & roboris, ut, qui magna amore tui ſprevi, etiam leviora vincam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(p) *Dion. Carthus ſer. 5. in Dom. 6. poſt Nativ. ad f.*

Statio X.

Chriſtus ſpoliatur veſtibûs.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

VErè Chriſtus, in detractione violenta veſtium, ſuarum, ſicut ovis coram tondente obmutuit. Omnia avelli ſibi paſſus eſt, ut oſtendat patenter, ſe non eſſe de hoc mundo, ſed ex mundo absque ulla rei mundanæ uſurpatione velle decedere.

Securè nimirum moritur, qui nec in affectu, nec in effectu habet quidpiam de hoc mundo, ejúsque vanitate. Anima Religioſa! ſi hodie moriendum tibi eſſet, putásne, quòd mundani affectûs nihil tibi adhæreat, ut ſecurè, & intrepidè morereris? ánne verus es omnis carnalis commoditatis oſor? an omnium honorum, omníſque humanæ exiſtimationis contemptor? an ad prælium cum toto inferno ineundum paratus? ſi paratus es: ánne omnia veſtimenta abjeciſti? veſtimenta, inquam, non illa corporis, ſed mentis & affectuum? de quibus loquitur S. Greg. (q)

Quicunque ad agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident : nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quisque cum nudo luctatur, citiùs ad terram dejicitur, quia habet, unde teneatur. Abjice igitur gulam, invidiam, amorem proprium, laudis humanæ appetitum, nè succumbas, & in terram illam dejiciaris, ubi *umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* (r)

O JESU ! per pœnosissimam illam, & confusibilem vestium tuarum detractionem, exoro te, aufer ex corde meo omnia perversorum affectuum vestimenta, ut in extrema mortis lucta post victoriosum agonem, tanquam bellator fortis, compaream coram tribunali tuo amictus lumine, sicut, vestimentô, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere meí.

(q) *Homil. 32. in Evang.* (r) *Job. 10.*

Statio XI.

JESUS in Crucem agitur.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

CHristus JESUS Filius DEI vivi, ubi ad locum crucifixionis perventum est, licèt sponte sese in Crucem inclinaverit, rabiosè tamen à Judæis in eam dejicitur, & crudelissimè in eadem extenditur.

Per-

Perpende, ô Religiose ! patientiam JESU Magistri tui. Ipse non sciscitabatur, cùm tam malè se tractarent, & omni crudelitatis genere debaccharentur : Tu verò indignabundus quæris, cur alius tibi præponatur ? cur tu alijs postponaris ? cur omnia vilia soli tibi demandentur ? cur cum alijs mitiùs, tecum duriùs (ùt tibi persuasum vis) agatur ? Tu, inquam, qui talia aut cogitas, aut loqueris, audi pariter JESUM te interrogantem : quare tu propter tua enormia, & ingentia, ac numerosissima scelera, non es damnatus, & æternùm reprobatus ? Nimirum, quia ego propter te condemnatus sum, omnibus postpositus, novissimus virorum reputatus, & in diram Crucem actus. Hæc ego pro te : quid tu pro me ? quid pro temetipso ? vilia, & vilipensionem nè sperne in terra, qui vilificari meruisti in inferno. Inclina te sponte in Crucem, & post modicum respirabis, & per memetipsum liberaberis.

O Domine ! ego vilis homuncio inclinare me vix possum ad Crucem ; adeò illius asperitatem, & vilitatem horreo. Tota caro contremiscit, dum de Cruce cogito, aut quidquam lego, vel audio. Hinc rogo te, parce mihi, & loco mei amorem proprium in Crucem age, ut, qui me solus à Crucis amore absterret, suæ nequitiæ pœnam luat, & hôc crucifixô, Crucem ego discam amare, & memet odisse, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

Statio XII.

JESUS in Cruce moritur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

IN Cruce moritur vita æterna : moritur innocens Deus ; moritur inter latrones : moritur inter blaſphemias : moritur dolores inter maximos, innumeros, infinitos, inexplicabiles, & pro me moritur. Heu !

Hæc credo, hæc audio, hæc video : & quis mihi ſenſus ? quæ mens ? Profectò haud abſimilis ſenſui, & menti illius, de quo ſcribitur, (ſ) quòd Seraphicam Religionem ingreſſus, & brevi auſteritatis Monaſticæ pertæſus, ad ollas carnium mundanarum regredi ſtatuerit. Dum imprudens exequitur conſilium, de repentè oculorum uſu privatur, & à propoſito nec quidquam deſiſtens, felici errore in Eccleſiam delatus eſt, ibique Dominum, in imagine Crucifixum, interrogantem audivit : cur turpem fugam arripere attentâſſet ? cui juvenis, auſteritatem vitæ, & Religioſæ diſciplinæ rigorem ſe ferre non poſſe, repoſuit. Salvator econtra : *Aſpice ô delicatule ! manus, pedésque meos perforatos : vide latus pro te apertum, & collige ſanguinem exinde profluentem : inunge collyriô hôc oculos tuos, & videbis, quàm exigua ſint, quæ pateris, ſi cum cruciatibus meis conferantur.* Tu pariter, ô Religioſe delicatule ! ſi te incedit vitæ Religioſæ tædium, diſciplinæ Monaſticæ horror, obedientiæ nauſea, auſteritatum

timor

timor : aſpice Salvatorem tuum, pro te Crucifixum, & ſanguine diffluentem. Collige illum, ac hôc collyriô oculos tuos inunge : & videbis quid deſit tibi : miraberis, & dilatabitur cor tuum.

Domine JESU Chriſte, veræ Religioſitatis & exemplar, & prœmium ! tu nôſti, quòd ſæpenumerò me inceſſerit Religioſæ obſervantiæ tædium, & nauſea, eò uſque, ut etiam oculorum mentalium aciem perdiderim, ac dereliquerit me virtus mea, & lumen oculorum meorum. Ah ! rogo te : purifica oculos meos ſacroſanctо tuo ſanguine, & illumina lumine gratiæ tuæ, nè unquam obdormiam in morte tepiditatis ; ſed, quæ agenda ſunt, videam, & ad agenda, quæ viderim, convaleſcam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(ſ) Lucas Wad. in Chro. Ord. Seraph. tom. 2. annô Xri. 1253. n. 44.

Statio XIII.

Corpus Chriſti de Cruce deponitur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

Reclinari voluit Salvator in ſinu Matris, ut vel illa ex hoc pignore ingentium ſuorum dolorum lenimentum, vel compaſſionis augmentum acciperet.

Et

Et re vera, non tantùm erga ſuum Divinum, ſed & erga nos miſeros Adæ filios, compaſſionis affectum hæreditavit pijſſima Mater. (*t*) Expertus hoc eſt ille Novitius, qui duro, mucido, & emendicato pane ægriùs victitans, querimoniæ causâ ejusmodi panem Matris doloroſæ imagini exhibuit, pro annonæ melioratione rogitans. Miſericordiarum Mater piè inclinata panem à novitio acceptavit, & in apertum Filij ſui, in ſinu virgineo reclinati, latus immiſit, extractúmque querulo novítio porrexit guſtandum, qui mox, ùt guſtavit, cœleſtibûs ſe deliciîs immerſum ſenſit. O Religioſe! cibos minùs ſapidos, miſerè præparatos, vinúmque aut nullum, aut acetoſum, laborésque Monaſticos, & obedientiæ onera, ſi nauſeas, accede fiducialiter ad Matrem Doloroſam, præſenta eidem cuncta, quæ tibi videntur amara, rogáque, ut cruento Filij ſui lateri immerſa dulcoret: guſta dein, & experiêre, quantum condimentum ſacroſanctus ille cruor aſpergat, & quàm benigna ſit Matris dolorſiſſimæ miſericordia. Hauries certè aquas conſolationis, fervoris, & Religioſitatis omnigenæ, de fontibus Salvatoris per manus Matris dulciſſimæ.

O Mater Miſericordiæ! en! offero tibi meas vigilias, orationes, Pſalmodias, caſtigationes, opera obedientialia, & denique omnia, quæ mihi contraria videntur. Tu ea immitte lateri amantiſſimi Filij tui, ut ſanguine ejus purpurata, & condita, appetitum provocent, & me ad cujusque

adver-

adverſitatis humilem ſufferentiam, docilem reddant, & expeditum, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(i) *Kybler in ſpecul. Miracul. p. 2. f. 885.*

Statio XIV.

Chriſtus ſepelitur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

B*Eati Mortui, qui in Domino moriuntur.* Quare? *Opera enim illorum ſequuntur illos.* (u) Sequuntur jam opera Chriſtum, ipſúmque beatum probant, & eius ſepulturam glorioſam efficiunt.

Religioſe! quæ te ſequuntur poſt mortem opera? fors acquiſita ſcientia, vî cujus multa ſubtiliter de Deo, & de virtutibus diſputâſti? fors diſcurſuum tuorum, concionum, doctrinarúmve copia, ex qua multa de gradibus perfectionis, & de modis proficiendi ſolidè, affectuosè, & efficaciter locutus es? At verò, an etiam in praxin redegiſti ea, quæ ſpeculativè nôſti? an ferventer perfectioni inhiâſti? an feciſti, quæ facienda optimè cognoviſti. Si ita: beatus eris, & opera tua te ſequentur. Sin minùs: quam aliam mercedem poſthac à Deo recipies, quàm ſpeculativam beatitudinem à Deo tibi ſpeculativè dandum. Oportet igitur, ut tu, qui ſpeculativè ſcis, opus eſſe homini humilitate: & propter humilitatem humilia-

miliatione, practicè id etiam ſcias, & re ipſa facias. Si ſpeculativè ſcis, hominem Religioſum debere eſſe virtuoſum, modeſtum, à terrenis avulſum, & perfectionis cupidum, mortificatum, ac mundo, carni, dæmoni, omnibúsque corporis commodis mortuum, id ipſum ſcias practicè. Sicut enim mors Chriſti & Paſſio ſpeculativa, tibi nil profuiſſet, nec Chriſto gloriam ſummam peperiſſet; ita nec tibi vita ſpeculativè Religioſa proderit quidquam.

O JEſu! verè ego non fui hactenus Religioſus practicus, ſed ſpeculativus præcisè, & verbotenus. Nam ubi debebam laborare, ego otioſus fui: ubi vigilandum fuit, dormivi: ubi mundo moriendum, ego mundum quæſivi, ſectatus honores, vanam gloriam, carnis delicias, & corporis voluptates; cum tamen optimè nôrim, hæc à Religioſo debere longiùs abeſſe, quàm cœlum à terra. Firmiſſimè jam propono, activiùs me habere in virtutum operatione, & Religioſitatis ſtudiô, ut in te, ô JESU! mori, & tecum æternaliter vivere merear, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(u) *Apocal.*

Statio XV.

Chriſti Crux inventa.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CRux Chriſti eſt virga, ſeu baculus ille Davidicus,

dicus, quô ſuperbus Goliat proſternitur, & canis infernalis fugatur.

Ergo cui Deus Crucem immiſit, arma ſubminiſtravit, ad fugandos dæmones efficaciſſima. Novit hoc, qui dixit: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* (*w*) Inde etiam diſces, ô Religioſe! cur Dominus tribulationes tibi mittat, & Cruces? ideo: *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.* (*x*) O! quoties tu extendiſſes manum ad iniquitatem, ſi tibi non reliquiſſet Dominus Crucem, ceu virgam peccatorum, quâ non tantùm peccata, ſed & peccati authorem diabolum, ejúsque machinamenta declinâſſes? non igitur Crux fugienda pro ſupplicio; ſed tenenda pro prœmio.

Salve ſis millies ô virga peccatorum, & baculus dæmonum, Crux Salvatoris! ſalve! tu indeſinenter te mihi inſinua. Hoc ſolùm virtutis tuæ in me oſtende, ut à peccato mortali liber, per te ad æternas veniam conſolationes, Amen.

Pater, & Ave.
O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*w*) *Pſal.* 22. (*x*) *Pſal.* 124.

❋ ❋
❋

PRAXIS VII.

Statio I.

Christus damnatur ad mortem.

℣. Adoramus te sanctissime Domine JESU Christe, & benedicimus tibi !

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

DImisisset Pilatus JESUM, nisi clamâsset perfida Judæorum turba : (a) *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Qua voce victus est Pilatus.

Figura mei Pilatus est, & passiones meæ sunt typus Judæorum. Si dimisissem desideria carnis meæ, non fuissem amicus mundi, carnis, & sathanæ : ut igitur horum amicus manerem, Deum à corde meo expuli, & diabolum retinui. Et quousque eum retinebo ? profectò eò usque, donec bellum meis cupiditatibus indixerim. Sed quando hoc fiet ?

Nunc, ô JESU ! nunc fiet, ut bellum impietati meæ indicam, & dimittam antiquas meas nequitias. Tu da gratiam, da robur, fer auxilium.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

(a) *Joan.* 19.

Statio II.

Christus Crucem suscipit.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

JESUS Crucem accipit de manibus impiorum Judæorum: & ego eam non libenter accipiam de manu JESU amoris mei? Hic gravissimam portat Crucem, ego comparativè levem. Ille Crucem ignominosam, ego honorificam; ùt eximius Crucis amator ait Divus Paulus: (b) *Mihi autem absit glorificari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi.* JESUS denique Crucem amplectitur; quia novit, id æterno suo Patri summè placere: & ego levem contemptum, & quamcúnque cruculam horreo, etiamsi sciam, me per Crucis sufferentiam Deo placiturum.

O Domine! hanc unicam à te supplex efflagito gratiam: ut des mihi magnam Crucis sitim, ingens patiendi desiderium, inexplicabilem mortificationum, & austeritatum fervorem, & meimetipsius inexpiabile, ac salutare odium, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere meí.

(b) *ad Gal. 6.*

Statio III.

Primus Christi sub Cruce lapsus.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

CAdit Christus Dominus sub Cruce; non tamen eam à se auferri desiderat, sed por-

tat eam inter verbera, opprobria, & ſubſannationes, absque ulla conſolatione, refocillatione, & reſpirio.

Ego, ùt primùm à leviſſima cruce me incommodari ſentio, ſtatim ab eadem me exonerare allaboro, non attendens, quòd multa habeam, durante adverſitate, lucida intervalla, conſolationes - ex & internas, reſpirationes, & recreationes corporales. Et, quis eſt, qui à Cruce non prematur? Nec ſummus Pontifex, aut Monarcha ab eadem exemptus eſt: & ego, Religioſus cùm ſim, exemptionem prætendo.

Abſit, ô mi JESU! abſit, ut ego exemptus à cruce, & adverſitatibus eſſe deſiderem: non enim cupio exemptus eſſe à cœlo, & beatifico tui conſortio. Veniat igitur Crux, premat me adverſitas, ut per eam aſcendere merear ad cœlum & meum Redemptorem.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio IV.

Chriſtus occurrit Matri ſuæ.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

MAter Dei valedixit Filio ſuo, tali, tantóque: & hoc ideo, ne eum à ſalutis meæ operatione retardet, aut impediat.

Anne igitur non decens eſt, ut ſalutem meam operaturus valedicam levitatibus, garrulitatibus

bus, aliisque ineptijs, quas experior me à ſalute mea, à fervore diſciplinæ, ac obſervantiæ Religioſæ, remorari, & à perfectione, ad quam vî Profeſſionis meæ obligor, non modicè retardare? Quid? ánne ego majori amore adhæream viliſſimis quibusdam ſenſualitatibus, quàm Mater Dei Filio Dei, ut ab ijs dimoveri nolim?

O MARIA! per illam amariſſimam à dilectiſſimo Filio tuo ſeparationem, rogo te, impetra mihi gratiam, tantúmque robur, ut ex nunc valedicam, & reſpuam omnia illa, quæ me ab amore JESU, & perfectionis ſtudio remorari poſſunt, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio V.

Simon cogitur portare Crucem.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

JESUS Crucem Simonis humeris imponi permittit. Ita nimirum Deus redimere me ſtatuit, ut ex parte mea ſtet, fructum Redemptionis guſtare, ſi & ego Crucem, ab humeris JESU ad meos translatam, lubem ſuſcepero: aut fructum ejusdem Redemptionis perdere, ſi vacuus ſolummodò, & purè ſpeculativus Paſſionis Dominicæ ſum contemplator. Patiendum eſt, ferenda Crux eſt, ſi ſalvari deſideras efficaciter.

Putásne, ſalvari efficaciter deſideras Religioſe!

ſi obedientiam Superiorum, tuis humeris impoſitam indignanter fers, excutis, eorúmque voluntati, ac diſpoſitionibus ſtreperè obloqueris?

Ah miſerum me! qui fructumRedemptionis ferre recuſavi, & crucem ſum aſpernatus, meam ſolummodo quærens voluntatem. O Crux ſacratiſſima, veni! & ab humeris Salvatoris ad meos tranſito, meúmque velle proprium amato pondere opprime, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio VI.

Veronica offert Chriſto ſudarium.

VIſa JESU facie, horrendùm defœdatâ, velum capiti ſuo detraxit Veronica, ut eodem divinam faciem à ſordibus ſacrilegè injectis, emundaret.

Ecce Religioſe! tu vides JESUM eouſque conſputum, & tuîs tepidatibûs, & irreligiosîs actibus, ceu ſputîs dirè fœdatum. Quid ergo moraris? detrahe velum, amanda habitus vitioſos acediam, guloſitatem, carnales conſolationes, & quidquid nôſti, Divino obtutui diſplicere. Pervade tuam conſcientiam, & emenda te. Sed quando tua ſequetur emendatio? aut quamdiu durabit?

Ex nunc, ô JESU Chriſte! ex nunc ſequetur vera, & ſeria perverſorum morum meorum emenda-

datio, & durabit tamdiu, quamdiu ego duro; ut tamdiu duret, conforta me, ô Domine! tuâ Divinâ gratiâ, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio VII.

Secundus Christi lapsus.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

INgenti dolore, & vulnerum concussione altera jam vice in terram prosternitur Dominus. Rectè exclamat Isaias (c) *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.* Dissolutæ namque sunt manus nostræ, dum vinctîs manibûs in libertatem filiorum Dei nos asseruit filius Dei, vocandô nos ad Ordinem Religiosum. Confortate igitur manus dissolutas Religiosi! & *estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente,* (d) ut accipiatis regnum æternum. *Et genua debilia roborate:* nè in peccata antiqua, aut tepidates periculosas incidatis. *Roborate genua! qui enim stat, videat, nè cadat.* (e) Roborantur autem genua frequentibûs precibûs, assiduîs mortificationibûs, jejuniîs, vigiliîs, lectionibûs sacrîs, & meditationibûs. Tu, si habes genua debilia, eadem dictîs exercitationibûs roborato.

O JESU virtus Dei! qui me vinculîs sæculi hujus nequam constrictum, in statum Religiosæ libertatis traxisti miserans: eâdem miseratione con-

forta manus dissolutas, & genua debilia roborato, ut pijs operibus jugiter intentus, nulla à te valeam tentatione abduci, aut animi remissione debilitari, Amen. Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(c) *Isai. 35.* (d) *Eccles. in Offic Apost.* (e) *1.Cor.10.*

Statio VIII.

Solatur Christus Mulieres.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

MUlieribus sese deflentibus, & lugentibus dixit benignissimus Salvator: (f) *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.*

Tibi fors, Religiose ingrate! nec debet, nec potest dicere JESUS: *Noli flere super me*: Nam tu eum nunquam defles, eò quòd non venias ad solemnitatem Passionis Dominicæ, quæ in sacris Stationibus celebratur. Hinc nec super Dominum tuum passum, nec super te fles, aut super tua delicta, & tepidas actiones. Sed væ tibi! quia cor induratum malè habebit in novissimus.

Emolli, ô Domine! emolli cor meum durissimum, & compassivo illud dolore confringe, ut tibi & sincero affectu compatiar, & à noxijs deinceps abstineam excessibus, tuásque passiones gratô frequenter recolam animô, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(f) *Luc. 23. v. 28.*

Statio IX.

Christus tertiò sub Cruce cadit.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

TErtia jam vice in terram Crucis onere deprimitur humilis Deus : magnámque sacrosancti sanguinis copiam, ex concussis, & renovatis vulneribus profluentem, effundit.

Sed quare Dens tam largus, & tam prodigus est in effusione pretiosissimi sanguinis sui ? Non alia de causa, nisi ut superbum Pharaonem, & exercitum ejus projiciat in hoc mare rubrum, hoc est : ut ex superbo me humilem efficiat, doceátque hominem antiquum, honorum appetitum, ac laudis humanæ pruritum conculcare, & novum hominem ædificare. Intelligísne, ô Religiose ! & exequeris hanc lectionem ?

Obsecro te Domine ! noli permittere, ut in hoc mari magno pretiosi sanguinis tui demergar, sed emergam. Demergantur autem in eo peccata mea, & inordinatæ affectiones meæ, superbíque cogitatus, ut in corde contrito, & humiliato placeam tibi Deus meus, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

Statio X.

Christo violenter auferuntur vestes.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

UT major pateat & vulneribus, & doloribus, ac

ac extremæ confuſionis locus, improba carnificum manus Filium Dei veſtibûs ſpoliavit.

Perpende Religioſa anima! quòd licèt violentâ veſtium detractione extremè confundatur Divina Chriſti Majeſtas, æqualem tamen, vel majorem ſuſtineat confuſionem, dum ſibi objicitur à dæmonibus tua lurida vita: dum Ethnici, turcæ, ac damnati Deo oggerunt gratias, ac immenſa beneficia tibi collata, quibûs, ſi ipſi fruiti fuiſſent, majores protuliſſent fructus ſanctitatis. Tu verò deſpexiſti, & neglexiſti, & abſcondiſti pecuniam Domini tui, qui cum uſura exacturus eſt eam. Quid reſpondebis? Quomodò ſubſiſtes?

Agnoſco, ô Domine! quòd talenta tua, mihi concredita, malè applicaverim, & prodegerim. Da deinceps gratiam, ut eâ coadjuvante duplum de commiſſo talento lucrum reportem, nè nudus meritîs, & te, & me confundam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XI.

Chriſtus in Crucem agitur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CRudelitatis miniſtri, infernalibûs furiis agitati, pantherarum inſtar rabidarum adoriuntur Chriſtum, calcibûs impetunt, & primo ictu atrociſſimè in terram proſternunt, horribiliter vociferantes: Adesdum ô Seductor populi! ocyùs ſuper hoc

hoc lignum te extende, expande brachia, & manus porrige.

O ſpectaculum ab orbe condito luctuoſſimum! DEUS ſuſpenditur! DEUS occiditur! & homo ridet, & delectatur in rebus peſſimis. O anima Religioſa! dic ſaltem à longè (de propinguo enim Crucem accedere non audes) ultimum vale Salvatori tuo.

Vale ergo mi Redemptor? vale ô Frater amabiliſſime! vale ô Sponſe animæ meæ! ſed priùs ante diſceſſum tuum ex hac vita, da Frater benedictionem, da amplexum! da crucifixoribus tuis orationis affectum, latroni Paradiſum, Matri Filium, Filio Matrem, mortuis vitam, mihi, & toti mundo tuum pretioſiſſimum ſanguinem, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XII.

Chriſtus in Cruce moritur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

MOriturus Salvator dixit: *Conſumatum eſt.*(g) Perpende, ô Religioſe! integrum illius verbi ſenſum. Conſummatum eſt arduum Salvationis humanæ negotium, pro quo fudi in vita lacrymarum millia ſexaginta: in horto Gethſeni ſudavi guttarum aquæ, & ſanguinis plus quàm millia nonaginta: tempore, quô paſſus ſum, dedi guttarum ſanguinis ultrà millia octingenta. In flagel-

flagellatione ſola accepi ictuum millia quinque, & quadringentos, & plagarum millia ſex, ſexcentas & ſexaginta ſex : in coronatione tuli puncturas mille. Dolores mortis ſenſi ſexies mille, ſexcentos ſexaginta ſex. Emiſi ſuſpiria doloroſiſſima nongenta : gemitus lethales nonaginta. Suſtinui percuſſiones, in capite, cervice, dorſo, brachijs, pectore, & reliquis innocentiſſimis membris mille quinquaginta novem. (*h*) Conſummati ſunt à prætorio Pilati uſque ad hunc Crucis, ac mortis meæ locum paſſus mille trecenti viginti & unus. (*i*) Conſummati ſunt dolores infiniti ; confuſiones, & opprobria ingentia : conſummata eſt vita. Solus homo ingratus ſuæ ſalutis opus non vult conſummare ; nec aliquid amore mei facere, aut pati ; cùm tamen amore ipſius tam multa egerim, tam gravia paſſus ſim. Hæc ingratitudo animam meam è corpore, & me è vivis expellit.

O JESU ! miſerere mei, aliud enim præ dolore non poſſum dicere, aut cogitare, quàm, ô JESU ! Fili David ! miſerere mei, & propitius eſto mihi peccatori. Mori malo, quàm te offendere.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(*g*) *Joan. 19.* (*h*) *hebdomas Sacra.* (*i*) *Andrichom. in ſua Jeruſ. n. 118.*

Statio XIII.

Christi Corpus deponitur ad ſinum V. Matris.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

PErpende, quomodo corpus JESU, de Cruce depoſitum, & ad ſinum puriſſimæ Matris delatum ſit, ſimúlque recogita, quòd interim petræ ſint ſciſſæ, monumenta aperta, & terræ motus magni fuerint.

O me miſellum! non habeo ſanctitatem Matris, ſed pravitatem latronis. Petrâ ſum durior, monumentum fœtidiſſimum, & terrenorum terreniſſimus. Et quale gaudium præbebit cor meum JESU meo Euchariſtico?

Hoc ipſo, quia miſer ſum, & miſerabilis, veni ô JESU Euchariſtice! Etſi enim non habeam ſanctitatem Matris tuæ, ut dignè te recipiam; latronis tamen pravitatem habeo, ut ad latus tuum crucifigi debeam. Etſi non ſim tanquam nobile templi velum, ut in morte tua ſcindar; ſum tamen monumentum fœtidum, ut ad apertionem lateris tui aperiri debeam. In morte tua petræ ſciſſæ ſunt: ego durior ſum petrâ. Emolli me! terra mota eſt: ego ſum terreniſſimus. Abſtrahe me! & ſicut voluiſti ferrum intrare, & vulnerare latus tuum, ita me per vulnera jam facta intrare permitte, ut tu intres in me, & ego in te, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei

Statio

Statio XIV.

Corpus Christi sepelitur.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

PEtrosô, & lapideô sepulchrô humatur Corpus Redemptoris, in quo elegit post infinitos labores exantlatos requiescere.

Magna totius orbis veneratione colitur sepulchrum illud, in quo jacuit Corpus flagellatum, coronatum, consputum, dilacertum, crucifixum. Majoribûs longè honoribûs corronabit DEUS Religiosi illius corpus, in quo jacuit anima mortificata, coram mundo contemptibilis reputata, vilipensa, crucifixa, & Christo commortua. Qualem, quæso! tu exspectare potes sepulchri illius, id est, corporis tui, à justo Judice honorem?

O JESU! ubi de passionibus, & mortificationibus agitur, mox erubescere debeo; nihil enim dignum in conspectu tuo egi, quòd à te jure exigere posset mercedem. Da igitur gratiam tuam, ut, quod fragilitas mea non potest, ejus viribûs deinceps possim, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio XV.

Sancta Helena cum Cruce.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

QUam solicitè quæsivit Crucem Helena, eandem tenerrimo strinxit affectu inventam.

Aſt ego, præterquam, quòd nec cogitem de Cruce quærenda, de inventa triſtor, eámque totîs à me viribûs amovere contendo, ſemper clamans: *Tranſeat à me calix iſte!* & nunquam cum Chriſto prioribus verbis adjungens: *verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* (k) Sed unde hoc? quia nimirum Crucem non amo.

O ſancta, & ſalvifica Crux! transfunde in me vel unicam amoris flammulam, quâ in te conſumptus eſt Salvator meus JESUS Chriſtus, ut diſcam ſalutis meæ pretium quærere, quæſitum amare, & amatum poſſidere in omnem æternitatem, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(k) *Matth.* 26.

PRAXIS VIII.

Statio I.

Chriſtus adjudicatur morti.

℣. Adoramus te ſanctiſſime Domine JESU Chriſte, & benedicimus tibi!

℟. Quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

TUlit Pilatus ſententiam mortis contra JESUM, dicens: *Accipite eum vos.* (a) JESUS autem, dum accipiebatur, & rapiebatur à Judæis, pa-

patienter, & demiſſo capite, ſuſtinuit, crudelem hanc ſententiam æquanimiter acceptans.

Ex hoc myſterio, ô Religioſe! ſufficit, ſi addiſcas, quod didicit S. Cyprianus Martyr, qui auditâ mortis injuſtæ ſententiâ alta voce dixit: *Deo gratias!* Proinde, ſi te obruit triſtitia, adverſa valetudo, vel quæcunque demum adverſitas, ſtatim in animo tuo cogita, quòd hæc ſi ſententia DEI: *Accipite eum vos.* Tu igitur capite voluntatis tuæ reverenter inclinato mox reſponde: *Deo gratias;*

Deo gratias ago pro ſaluberrimo hoc remedio, ſeu potiùs alexipharmaco, quo præſervante nulla mihi nocebit adverſitas, nullus dejiciet caſus ſiniſter. Da pijſſime Domine! ut frequens uſus hujus univerſalis medicinæ, & cordi, & ori meo fiat dulcis ſuper mel, & favum.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*a*) *Joan.* 18.

Statio II.

Chriſto imponunt Crucem.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CHriſtus JESUS, latâ in eum mortis ſententiâ, educitur à populo Judaico, haud ſecùs, ac olim innocentiſſimus Abel ab invido fratre Caino. Lignum ei Crucis imponunt, ut, ceu verior Noë,

arcam

arcam ex eo fabricet, ſalvando generi humano deſtinatam. Nec gravatur illud in ſuos ſuſcipere humeros, ut in eodem, velut figuratus Iſaac, immoletur in monte Calvariæ.

Cainam erga JESUM crudelitatem exercet, qui fratri ſuo, aut proximo, meliorem fortunam, exiſtimationem, honores &c. invidet. Noëmum non imitatur, ſed irridet, qui pro ædificanda æternæ ſalutis ſuæ arca pati nihil vult, & lignum Crucis portare renuit. Iſaac non eſt, qui, cùm Divinus Pater eum non immolare, ſed probare deſiderat, reſiſtit, & fugit. Sed cuinam horum ſum ego ſimilior?

O Domine! da mihi Abelis religioſitatem, Noëmi, circa ſalutem animæ meæ induſtriam, & ſimplicem Iſaaci obedientiam, ut tecum Crucem tollam, feram, retineam, & patiar, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio III.

Chriſtus in terram prolabitur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

JESUS Crucis pondere preſſus fatigatur, & in terram graviſſimè labitur.

Jam incipiunt myſteria, exclamat S. Auguſt. (*b*) *non enim fruſtrà fatigatur JESUS: non enim fruſtrà fatigatur virtus Dei: non enim fruſtrà fatigatur, per quem fatigati recreantur: non enim fruſtra fatigatur quo deſerente fatigamur, quo præſente firmamur. Tibi fatigatus eſt ab itinere JESUS. Infirmitas Chriſti te*

recreavit, infirmitas Christi fecit, ut, quod erat, non periret. Condidit nos fortitudine sua, quæsivit nos infirmitate sua.

O Religiose! quid omnem tu desideras requiem, pro cujus salute adeò fatigatus est JESUS? Labora, psalle, vigila, mortifica, fatiga corpus tuum, ut hac fatigatione JESUM reficias fatigatum.

O amantissime Salvator Christe JESU! quærens me sedisti lassus, redemisti Crucem passus: Ah! tantus labor non sit cassus, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(b) *Tract. 15. in Joan.*

Statio IV.

JESUS occurrit afflictissimæ Matri.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

VIx à lapsu se recollegerat Filius DEI, mox novô tormentô cor ejus conquassatur. Occurrerat enim ei Mater sua afflictissima simul, & dilectissima, ultimum dictura vale. Ast neutri triste concesſêre alloquium efferi carnifices; sed JESUM immaniter propellunt.

Ah! quàm immensus dolor amantissima non perforaverit corda, dum eis breve negatur alloquium, dolorosi affectûs contestativum. Ego autem in obvijs quibusque tribulatiunculis solatia

emen-

mendico ab amicis, à voluptatibus, à cura carnis. Quid? ſi in recognitionem illius tremendi, ac mutui doloris, dolorem meum, & afflictionem in corde meo tacitus ſuffocarem, & Nato Dei, ac Matri ejus ſacrificarem cum pio affectu?

O deſolatiſſima JESU & Mariæ pectora! vobis ego omnes meas deſolationes, preſſuras, & afflictiones non tam commendo, quàm immolo. Date! ut diſcam poſthac tacitus pati, & non omnia querelîs implere, ac ab hominibus, aut levamen exprimere; ſed à veſtris afflictionibus patientiæ gratiam impetrare, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio V.

Simon fit Crucis ſocius.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

VIdentes carnifices JESUM deficere viribûs, coëgerunt hominem transeuntem, ut Crucem tolleret poſt eum. At ille diu reluctabatur id obſequij præſtare Chriſto Domino.

Haud aliter ſe habuit Religioſus ille, (c) qui tentamentîs diabolicîs ſeductus eò uſque inſaniît, ut relictô monaſteriô apoſtataverit. In actuali fuga conſtitutus obvium habuit hominem, qui ſe interrogaret: quare confuſus adeò, & perplexus appareret? Cui ille: *quid ad te?* alter econtrà: *plurimùm ad me;* & diſciſſa veſte (Chriſtus

enim erat) perforatum ei oſtendit latus. Ego enim, inquiebat, pro te incarnatus, natus, paſſus, vulneratus, mortuus ſum; & tu audes dicere : *Quid ad me ?* Quô visô, & auditô, contremuit miſer, & reſipuit. Nunquid Religioſus ille Simon fuit, quocum ſe Cruci oppoſuit dicens : *quid ad me homo iſte ?* O utinam alteri horum tu non eſſes ſimilis ! ſi ergo ad Deum tua ſalus attinet : etiam ad te attinet Deus tuus, qui totus laſſus, & exhauſtus, Crucem in te transferre deſiderat. *Hæc ad te.* Accipe ergo ipſam reverenter de manu Domini, & reſipiſce.

O Domine ! ſi ad te pertinere noſcitur meæ ſalutis periculum, viciſſim concede, ut humilis tuæ Crucis ſequela magis mihi cordi ſit, quàm hactenus, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(c) *Maffæus.*

Statio VI.

Pium Veronicæ obſequium.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

DEtrahit velum capiti ſuo Veronica, ut faciem JESU probrîs affectam, & ſputîs dehoneſtatam, purificaret.

Quid agis ô matrona nobiliſſima ! an non verecundaris tuum velô caput denudare ? Non vere-

cun-

cundor, ait, amoroſum obſequium, aut obſequioſum amorem, etiam cum mea erubeſcentia Chriſto impendere. Velum capiti tuo detrahere & potes, & debes, qui tua peccata, quæ coram facie Domini commiſiſti, ſincerè confiteri deſideras. Sed quoties, qua humilitate, & diligentiâ, id facis?

O Domine! da gratiam, ut cum ſaluberrima mei confuſione velum capiti meo tam frequenter quàm humiliter, in Sacramentali confeſſione detraham, quatenus faciei tuæ imaginem, in anima mea peccati ſordibûs peſſimè deturpatam, priſtino ſplendori reſtituas, & Spiritum rectum innoves in viſceribus meis, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio VII.

Secundus Chriſti lapſus.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

TRiſte denuo ſpectaculum fit Salvator, dum dolens, & gemens, Crucis ponderi ſuccumbit.

Refert S. Pagina, (*d*) qualiter Urias Davidi, ut domum reverſus ſuis non nihil indulgeret commoditatibus, ſuadenti reſponderit: *Arca DEI & Iſraël, & Juda habitant in Papilionibus, & Dominus meus Joab, & ſervi Domini mei, ſuper faciem terræ manent & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam? per ſalutem tuam, & ſalùtem animæ tuæ, non faciam rem hanc.* O Religioſe! in-

incarnata Dei arca, & Dominus tuus JESUS Christus habitat in Papilionibus, & cruentô Passionis suæ decertat præliô: & tu quæras requiem & commoditates? Christus Dux tuus gravissimo Crucis succumbit oneri: & tu elato sis animo? Ille infinita patitur tormenta: & tu corporeas venaris voluptates?

O JESU! per salutem tuam, & salutem animæ meæ, non faciam rem hanc. Sentiat etiam corpus meum, & caro mea, amaritudinem Crucis tuæ. Exemplum dedisti mihi. Hinc, quemadmodum tu fecisti, ita & ego deinceps faciam.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(d) 2. Reg. 11.

Sratio VIII.

Flentes Christo occurrunt Mulieres.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

RECordatæ quædam Mulieres, quæ, & quanta beneficia aut sibi, aut suis à JESU fuerint collata, secutæ sunt eum in via hac, qua ambulabat, flentes, & lugentes.

Referunt, *(e)* canem, cujus Dominus in publica urbis Romanæ platea interfectus fuerat ad mortui cadaver per aliquot dies impastum sedisse, & lugentem. Et ego, Religiosus cùm sim, & Sacerdos Altissimi, nunquam, aut rarò admodum

dum compaream in publica Crucis viæ platea, ubi Dominus meus, & Deus meus horrenda morte ſuccubuit, & pro me interfectus eſt, & quidem à me interfectus eſt? Utinam ſaltem, ſi oculos non obruunt lacrymæ, grata hujus ſcenæ memoria ſubiret animum, ut cum pia hac Mulierum turba devotam exhibeam grati animi conteſtationem.

O Domine! tam obliviosſus deinceps non ero, ùt à mulieribus Judaicis, aut omnino à cane vinci me patiar in Domini mei luctu. Dies abibit nulla, quâ non piîs operibûs, aut ſaltem devotîs affectibûs gratum me oſtendam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(e) *P. Fritſch in manuduct. f. 59.*

Statio IX.

Tertius Chriſti ſub Cruce lapſus.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

PRoſternitur in terram innocens Deus non una tantùm, ſed iterata, ac tertia vice. Gravis fuit primus ejus lapſus, gravior ſecundus, graviſſimus omnium tertius, ac doloroſiſſimus, qui magnam ſacroſancti ſanguinis copiam poſt ſe trahebat.

Attende Religioſe! an non trium horum lapſuum tu extiteris cauſa? lapſus enim es primò in ju-

juventute tua ; ſecundò in ætate profectiori : ac tertiô in Religioſo, & ſacerdotali ſtatu. Gravis erat primus ille tuus lapſus : alter gravior : graviſſimus tertius, ac tibi periculoſiſſimus juxta, ac Chriſto tuo doloroſiſſimus, pro cujus expiatione integrum requirebatur Diviniſſimi ſanguinis profluvium.

O JESU Redemptor pijſſime ! immenſas tibi ago gratias pro omni tua pœnoſiſſima Paſſione, & cordintimè doleo, quòd mea fragilitas lapſuum tuorum repetita fuerit cauſa. Non adjiciam poſthac te ad lapſum, præcipuè graviſſimum illum tertium, impellere, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

Statio X.

Chriſtus privatur veſtibûs.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

EX violenta veſtium direptione renovabantur JESU vulnera, abſtrahebatur à corpore cutis, recens oboriebatur ſanguis, & venerandum ejus caput ex ſpinoſæ coronæ immiti avulſione, & immani reimpoſitione, duplicata crudelitate dupliciter vulnerabatur.

Tremendum planè ſpectaculum ! hoc, Religioſe ! ſæpiùs tibi præfige, & evades ex tepido fervidus, & ex vano contemptor mundanarum vanitatum, velut S. Roſalia *(f)* cui, cùm vani ornatûs gratiâ ſpeculum inſpicienti Chriſtus in præ-

tacta

tacta horrenda forma semel, ac iterum repræsentatum se objecisset, tanto horrore correpta est, ut horrere mundum didicerit, ac dimissis sæculi pompis universis reliquam vitam aspero in antro transegerit. Inspice etiam tu hoc speculum.

O JESU! quis quærat vanitatem, aut aliquam commoditatem, dum te tam enormiter excarnificatum intuetur? Faxit tua gratia, ut, qui te oculis fidei in hac sacra statione tam indignè tractatum doleo, mentem ab omnibus vanitatibus totaliter avulsam reportem, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(f) *Præcitatus f. 120.*

Statio XI.

Christus Cruci affigitur.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

CAro Christi delicatissima, Virginea, Regia, à Spiritu S. formata, clavîs trabalibûs configitur, malleô contunditur, dilaniatur, dilatatur. Et dolorem ejus quis enarrabit?

Vis nôsse, quantus fuerit dolor? ex ungue leonem metire. Puncturam acûs semel, & iterùm repetitam, ægerrimè suffers. Scissura, vulnúsque cultri subitò declinantis, quantum tibi infert supplicium? Digitum super candelam ardentem per paucula momenta absque clamore vali-

do num tolerabis ? unicam ſulphuris, aut æris eliquati guttulam, in manus decidentem, quo dolore ſuſtineres ? quantus igitur, quàm infinitus fuerit dolor carnis Chriſti tenerrimæ, dum clavi truces, oblongi, & truncati plus quàm quinquaginta validiſſimîs ictibûs, manus, pedésque ſacratiſſimos inauditâ violentiâ adacti, perforabant ?

Vah tenellum, & delicatulum Chriſti ſervum! quem moderatæ abſtinentiæ rigor, & obſervantiæ Religioſæ tolerabilis clavus, non in Crucem, ſed in fugam agit.

Ah! cur unus horum ictuum non dirumpit, & emollit pectus meum adamantinum ? Eheu! dimittite clavi iſtas innocentiſſimas manus, & configite cor meum, illúdque compaſſione interminabili vulnerate, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XII.

Chriſtus emittit Spiritum.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

SUperatîs infinitîs doloribûs, opprobriîs, paſſionibûs, ac tormentîs inclinat JESUS caput, mortíque facultatem impertitur, fatali falce vitæ ſtamen demetendi: *Et inclinato capite tradidit Spiritum. (g)*

Inclinato capite moritur JESUS, ut mihi amplexum, mihi det oſculum reconciliationis. *Inclinato capite*, ut mihi dicat ad aurem cordis mei: morior,

morior, & libenter morior amore tui; hujus noli oblivifci amoris. *Inclinato capite*, ut infpiret in faciem meam fpiraculum vitæ, & fuum mihi ingereret Spiritum.

O anima mea! tradidit pro me JESUS Spiritum, & ego fpiro? Verbum æternum pro me filuit: & ego loquor? Deus meus pro me mortuus eft: & ego vivo? cur non venis ô hora, ut & ego moriar, dum pro me Dominus meus JESUS mortuus eft? cur non faltem compaffione morior ego; cùm iam exfpiraverit in Cruce vita mea? O vita mortifica me! ô mors vivifica me!

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miferere mei.

(g) *Joan.* 19. v. 30.

Statio XIII.

Depofitio Chrifti de Cruce.

℣. Adoramus te, ùt fuprà.

DEpofitio Corporis Chrifti de Cruce ad finum Virginis Matris doloroffimæ inexplicabili dolore Marianum pectus replevit, ùt confpexit propiùs hiantia vulnera, latus transfoffum, caput tot fpinis laceratum. Certè, fi me præfentem habuiffet doloroffima Virgo, in has, aut fimiles querelas erupiffet:

Afpice Redemptorem tuum, tam crudeli morte ob tua fcelera peremptum, cujus pedes tot pro te fatigati

gati itineribus, ferreis in ligno transverberati clavis hiant: manus operatrices tot mirandorum operum, atroci vulnere transfactæ sunt: cor, ac pectus Divini amoris reclinatorium, immani lanceæ ictu patefactum: caput, æternæ Sapientiæ sedes, dirissimis spinarum aculeis fodicatum est: tota corporis compago, singulare totius Trinitatis organum, tot plagis livida, tot vulneribûs lacerata est. O tragicum facinus, ad quod sidera se occuluerunt, saxa rupta sunt, concussa tellus universa. Tu hæc fecisti; & absque doloris sensu in saxum induruisti? Heu justam simul, & amaram querelam!

O! quis mihi tribuat illum doloris sensum, quem tu beatissima Mater percepisti, quando brachiîs, ac sinu tuo lacerum, ac tot vulneribûs deforme Filij tui cadaver excepisti! quantò ego dolorem illum sentirem justiùs, qui illum injustè Filio, tibíque meîs peccatîs inflixi! O Mater per tuas lacrymas enitere me doloris filium, & socium, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio XIV.

Corpus Christi defertur ad sepulchrum.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

MAgna cum reverentia adorandum Christi corpus ad sepulchrum deportârunt, ac unguentîs optimîs inunxerunt.

Tu unge illud affectu pio, qui ante oculos Domi-

mini omnî pretioſior eſt unguentô. Nam cuidam devoto Chriſti cultori (*b*) revelatum eſt, non poſſe ſibi ab hominibus gratius præſtari obſequium, quàm gratâ Paſſionis ſuæ memoriâ. Id, quod confirmat Albertus M. (*i*) dicens, unicam ſimplicem de Paſſione Chriſti cogitationem plus mereri apud Deum, quàm unius anni jejunium in pane, & aqua: aut quotidianam per flagellationes cruentationem: aut prolixas precationes. Sic Religioſe! ſic unge corpus Chriſti, quia fors aut non vis, aut non potes tam ſtrictè jejunare, flagrîs te macerare, aut horas precibûs conſumere. Sed nec hoc nec illud fortaſſe feciſti.

O JESU! emolli cor meum, & excita illud à profundiſſimo torporis lethargo, ut piîs affectibûs ad S. tuum ſepulchrum vigil excubet, & lacrymoſa mea ſuſpiria lampadem accendant inextinguibilem, ac pia tuæ SS. Paſſionis memoria corpus tuum puriſſimîs involvat linteaminibûs, ac ſuaveolentibûs condiat unguentîs, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*b*) *Apud Ludoph. Carth. vitæ Chriſti p. 2. c. 58.*
(*i*) *apud Diſcipulum ſer. 1. in Paraſc.*

Statio XV.

Sancta Helena cum Cruce.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

Dllexit ferventi amore ſanctam Crucem Beata

Helena ; & ideo eam ardenter quæſivit , & gaudenter invenit.

Crucem ama! & ùt exclamat S. Bern. (*k*) *Totus nobis figatur in corde, qui pro nobis totus fixus eſt in Cruce.* Chriſtus portabat Crucem vivus, &, ut ne mortuus quidem ab ea divelleretur, ab ea portari voluit. Tu verò, ne à Chriſto divellaris, à Cruce ne avellaris.

O Crux, ave ſpes unica! individuo me tibi nexu conjunge, ut, quem habitus Religioſus, & dignitas Sacerdotalis, Crucis amatorem coram mundo proclamant, talis inveniar in cœlo, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*k*) *lib. de Vit. Honeſt.*

PRAXIS IX.

Statio I.

Injuſtè Chriſtus morti adjudicatur.

℣. Adoramus te ſanctiſſime Domine JESU Chriſte, & benedicimus tibi!

℟. Quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

IMmanis erat vox efferati Judæorum populi, in mortem JESU conſpirantis. Cauſam percontanti Pilato reſponderunt perfidi : *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* (*a*)

Heu

Heu grandem calumniam ! ergóne eſt malefactor, qui pertranſiît benefaciendô, & ſanandô omnes ? Diſce, ô Religioſe ! devorare injurias, calumnias, & detractiones. Tu enim non es innocentior Filiô DEI ; quia absque peccato non es : adeóque es malefactor. Propterea hæc dicit Dominus : *Si non eſſet hic malefactor, non eum tradidiſſem* calumniatoribus, accuſatoribus, infamatoribus. Profectò non debetur tibi honor, qui honorem Deo per tua peccata furatus es. Reſtitue læſum honorem Deo per fortem infamiæ, confuſionúmque ſufferentiam, ac propriæ vilipenſionis amorem : *Quoniam magna potentia DEI ſolius & ab humilibus honoratur.* (b)

O JESU, immenſam calumniarum vim pro me perpeſſe ! in reverentiam tremendæ illius confuſionis, immolo, reſigno, ac ſacrificio tibi omnem meum honorem, famam, exiſtimationem, & in omnem ignominiam, ac confuſionem, ſi quam immittere tibi placuerit, me paratum tibi exhibeo. Conforta me, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(a) *Joan. 18.* (b) *Eccleſ. 3. v. 21.*

Statio II.

Chriſtus levat Crucem in ſuos humeros.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

UNiverſas JESUS, quæ adhuc poſt tanta tormenta

menta reſiduæ erant, collegit vireś, ut Crucem graviſſimam, & probroſiſſimam in ſuos exulceratos levaret humeros, & ad montem uſque Calvariæ deportaret.

Tu, ô Religioſe Chriſti imitator! ſi aut diuturna, aut inopina obrueris cruce, aſſume animum generoſum, omnes vires collige, & illam crucem, in humeros tuos levatam, deporta; non quidem ad montem Calvariæ (nè diſtantia loci, & nimium pondus te dejiciant) ſed ad ſacram hanc Stationem, ac ad pedes JESU fatigatus quieſce: ille tibi crucem reddet portabilem, levem, dulcem, ac conſolatoriam, viréſque novas ſubminiſtrabit. Utinam hoc feciſſes ſæpiùs! haud dubiè non toties defeciſſes.

O JESU! amore tui omnem crucem, omnem tribulationem, adverſitates omnes in meos ſuſcipiam humeros. Tu me tuâ confortabis gratiâ, pro qua obtinenda tu eris refugium meum, & virtus, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei

Statio III.

Primus Chriſti lapſus.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

ACerbè adeò trahebatur, & tractabatur innocens DEUS, ut continere ſe non potuerit, quin lapſu horrendo laſſus in terram proſterneretur

tur, haud dubiè illud mente recogitans : *Popule meus ! quid feci tibi ? aut quid molestus fui tibi ? responde mihi* (c)

Tu, qui JESUM ſub Cruce fatiſcentem contemplaris, animum ad audiendum acue, & Chriſto, te proprio nomine compellanti, reſponde. NB. *Quid feci tibi ? aut quid molestus fui tibi ;* Ecce ! quòd nunc in terra jaceam, impiorum pedibûs conculcatus, tui causâ jaceo. Tu me adeò vilipendiſti : tu me in terram dejeciſti : & utinam non dejeceres iterum, iterúmque ! Porro quoties dum vives, me conculcabis ? quid feci tibi ? reſponde mihi.

Ah ! *Quid dicam Domine, aut quid reſpondebo tibi ? Dimittam adversùm me eloquium meum : loquar in amaritudine animæ meæ ; dicam Deo : Noli me condemnare.* (d) Vilipendi te ; adeò in tuo ſervitio aut intepui, aut illud omninò abhorrui. Dejeci te in terram, & conculcavi ; cùm ſanctîs tuîs inſpirationibûs poſthabitîs abij in conſilio impiorum, & in via peccatorum ſteti. Supplices igitur tendo manus, pectus tundo, & doloroſo gemitu peroro cauſam meam. Tuere cauſam meam, Defenſor vitæ meæ, Domine DEUS meus ! Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(c) *Mich. 6. v. 3.* (d) *Job. 10.*

Statio IV.

Beatissima Virgo obviat Filio suo.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

INtuebatur miseranda parens Unigenitum suum innocentissimum inter latrones iniquissimè raptari, omnibûs lictoribûs, & militibûs, in hunc unum sævientibûs. Et quis explicabit, quàm vehemens dolor Materna ejus viscera penetraverit, pertingens usque ad divisionem animæ, quæ erat ejus Filius?

Cum David discalceatus, & operto capite, flens Absalonem fugeret, & montem olivarum scanderet, tantam commiserationem ciebat, ut omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascenderet plorans. (e) Quo, putas, doloris sensu, Christum amantissima Mater non sit consecuta? David flendô ciebat lacrymas: at Christus fuso cruore. David nullo affectus vulnere, & integræ sanitatis: Christus vulneribûs plenus, & nullius sanitatis, quin imò vitâ ad ultimum destinatâ supplicium, quomodò non tormentavit cor dulcissimæ Matris? ô JESU! ô MARIA! tenerrimè vobis compatior.

Interveniat pro nobis, quæsumus Domine JESU Christe! nunc & in hora mortis nostræ, apud tuam clementiam B. V. Maria Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora tuæ Passionis, doloris gladius pertransivit, Amen. Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(e) 2. *Reg.* 11.

Statio V.

Simon fit Crucis Socius.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

SEptuaginta duos numeravit Christus discipulos, qui ipsum jugiter comitabantur. Ast ubi viderunt eum ad mortem condemnatum, *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* (*f*) Nullus eorum Crucis socius, aut luctuosi itineris comes esse volebat, ut meritô conqueri potuerit Salvator: *Foras fugerunt à me, oblivioni datus sum, tanquam mortuus à corde.* (*g*)

O probrum modernæ Christianitatis! antiquorum Cæsarum, & Heroum statuas, venerabunda coluit Roma; & nostrô adhuc ævô fortia illorum gesta penicillô, & cuprô depicta celebrantur, ac avidè perlustrantur. At verò statuas fortiter exantlatæ Passionis, Crucis, & mortis: ingentem de mundo, carne, & diabolo victoriam, à JESU Christo relatam, fugimus, & nostro vix dignam aspectu judicamus. An non rectè exclamat To. Kemp. *Heu Domine! quàm multi inconsideratò coram te transeunt siccis oculis, & incompassibili corde?* O ingratitudinem summè detestandam! si itaque cum Simone stolidè Crucem, & Crucis memoriam fugimus: deinceps serò licèt eam amplectamur, & dimittamus nunquam.

Ignosce, pijssime Salvator! erubescendam meam socordiam, & detestandam in Cruce fe-

renda erubeſcentiam. Trahe me poſt te, ut in Cruce ſequar te, & æternùm conſequar.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe miſerere mei.

(f) *Pſalm. 13.* (g) *Pſalm. 30.*

Statio VI.

Veronica Chriſto porrigit ſudarium.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

UT vidit Veronica JESU faciem extremè confuſam, & ſordidatam, intimè doluit, & cùm aliud non poſſet præſtare obſequium, ſudarium obtulit.

Lacrymabilis certè erat aſpectus JESU patientis. Ut vidit Judas JESUM ad mortem condemnatum, miſerando ejus aſpectu adeò commotus eſt, ut mox retulerit triginta argenteos, dicens: *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum.* (h) Quid, ſi vidiſſet adeò conſpurcatum, lividum, vulneratum, flagrîs laceratum, ſpinîs coronatum? Quid ſi Crucifixum, mortuum? profectò non ampliùs tradidiſſet eum; ſed præ dolore crepuiſſet medius, etiam non ſuſpenſus. Videt hæc omnia Chriſtianus, Religioſus, Sacerdos: & quid facit? iteratò tradit JESUM, dum iteratò peccat. Ergo pejor eſt Judâ.

Ita eſt, mi JESU! dolens fateor, quòd pejor fuerim peſſimo proditore Juda. Ille ſemel, ego iterum, & ſæpiùs te tradidi. Ego te vidi in tormentis,

mentis, & flagellis ſubditum: & iterum te tormentavi, & flagellavi. Ego te vidi in Cruce morientem, deſolatum; & denuo te crucifixi, occidi. Ah mi Deus! nunc ſentio commoveri mihi viſcera, cor palpitare, & animam doloribûs liqueſieri. Suſcipe (cùm aliud reddere non poſſim) ſuſcipe doloris velum ardentibûs lacrymîs madefactum: & in eo purifica faciem tuam, quæ eſt facies animæ meæ, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*b*) *Matth.* 27.

Statio VII.

JESUS ſecundò ſub Cruce cadit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

ALtera jam vice in terram corruit, & facie ſua Divina humi figitur Salvator noſter, novísque vulneribûs plagatus, hoſtium ſuorum pedibûs proteritur, ac ab omnibus deridetur.

Memento, tuâ JESUM inconſtantiâ, & volubilitate denuo ad terram uſque dejectum eſſe. O! quot bona propoſita in ſacris meditationibus, aut exercitiis ſpiritualibus concipis. Ignem ſpiras, & leonem. Sed vix aliquot paſſus animô ita obfirmatô conficis, laſſaris, & quavis aurâ, leviſſimáque tentatiunculâ dejiceris. Pete à Domino, pro te infirmato vires conſtantiæ.

O JESU! qui mille inter opprobria ad mortem

tem eductus, & præ nimio vulnerum dolore, ac tenerrrimi corporis lassitudine, terram es collapsus: confirma me in bonis propositis exequendis, ut non amplius vacillem, & te unà mecum à terra tollam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio VIII.

Mulieres flentes sequuntur JESUM.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

MUlieres oculîs corporis, & mentis aspicientes indignum, quô JESUS tractabatur, modum, amarè fleverunt, & secutæ sunt eum in itinere Crucis.

Si istæ mulieres domî suæ flêssent, aut in via Crucis quidem; nihil tamen de doloribus JESU cogitantes: putásne, JESUS eas respecturus fuerat, & consolaturus? Minimè sanè. An igitur putas, Religiose, & Sacerdos tepide! Deo placituras orationes tuas, quas vel domi privatim, vel publicè fundis in Choro; si de Deo vix aliquid, de nugis autem, & vanitatibus plurima cogites? ánne meritum, & consolationem Divinam exinde exspectare potes? An non potius verum est, quod ait ille: (i) *Non plus delectatur Deus in oratione vocali sine attentione mentali, quàm in garritu avium, vel in grunnitu porcorum.* Vah magnam orationis tuæ præstantiam! qua propter in Deum intende, si vis, ut gemitus tuos, & oratio-

orationes consoletur, ac respiciat, sicut mulierum, sibi in Crucis via intendentium, & sequentium.

O JESU! dolens, ac gemens confiteor tibi, quòd hactenus per luridas meas orationes, psalmodias, cantus, & preces aliud non meruerim elogium, quàm quod ex ore tuo reportârunt ii, de quibus conquereris: (k) *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Da gratiam, ut deinceps psallam tibi spiritu, psallam tibi & mente, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(i) *Vincent. Bellov. spec. mor. part. 10. dist. 33.*
(k) *Matth. 15. 8.*

Statio IX.

JESUS tertiò sub Cruce corruit.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

TErtiò in terra jacentem Dei Filium, tertia jam vice in eadem Crucis via contemplaris. Sed etsi centies redires in idipsum, stupendam illam Filij Dei exinanitionem capere non posses satis. Jacet Judex apud pedes rei: Dominus adgeniculatur servo: Rex ad pedes lictoris provolvitur: Deus, tremendæ Majestatis Dominus, sub turpibus alicujus vermiculi pedibus ingemiscit.

Hæc consideras, ô homo! & superbire, aliisque te anteponere, & nemini subesse præsumis.

 Nôsti-

Nôſtine, quid ſis? ſi neſcis, dicam. Ex evanida vitæ vappa, mortis larva horribilis, putredinis ſentina, fœtoris cloaca, ſeminarium vermium, turpitudinis ſpectrum, naturæ nauſea, deforme ſcheleton. Quid multîs? terra, cinis, & nihilum. (*l*) ſi adhuc ſuperbis, ex Bernardo quære: quid fueris? ſperma fœtidum. Quid es? ſaccus ſtercorum. Quid eris? eſca vermium. Aſpice hanc hominis formam, pro qua reformanda adeò humiliavit ſemetipſum humilis Deus. Et miſer homo ſe non humiliabit?

Viciſti, ô magne Deus? viciſti humilitate tua meam ſuperbiam. Totus itaque contritus, ac confuſus tuis ſanctiſſimis me ſubſterno pedibus, ut iîsdem meam conculces ſuperbiam, & humilem Crucis inſtilles ſcientiam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*l*) *P. Schwarz in peripatetico.*

Statio X.

Chriſtus exuitur veſtibûs.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

Dreptîs veſtibûs, & renovatîs exterioribûs totius corporis vulneribus, etiam linguam cruciaturi crudeles carnifices, vinum myrrhatum & amariſſimum Chriſto propinant; quòd, *cùm guſtâſſet, noluit bibere.* (*m*)

Quare noluit bibere? ut ego biberem, & ſentirem

tirem amaritudinem: *ut metam myrrham meam cum aromatibus.* (n) Vinum istud est myrrhatum tristitiâ, internîs animi desolationibûs, & afflictionum amaritudinibûs, quibûs Divinarum rerum sapor, succus orationum, & carnis victoria amaricatur; velut expertus est aliquis Religiosus, (o) qui cùm gustavit, noluit bibere, fastidiens omnia spiritualia exercitia, eò usque, donec, cùm in cella præ mærore tabesceret, ejus auribus cælitùs hæc vox allapsa est: *quid hîc sedes otiosus, in teipso tabescens? Surge, & meam devotè pertracta Passionem, & in amaritudine tuum vinces dolorem.* Surrexit, pertractavit, amaricatus est, vicit. Imò *non est amaricatus.* Nam ex eo, quòd JESUS gustaverit, *myrrha amarissima fit favus dulcissimus, & vinum sapidissimum; nec jam ampliùs torquet sua amaritudine, sed recreat: & inebriat instar generosissimi vini.* (p) O Religiose aride, tribulate, desolate! quid sedes otiosus? surge! pertracta passionem Domini, & in amaritudine dulcissima vini myrrhati dolorem vinces. Fac, velis.

Et quid nî velim, ô Domine! potari de torrente voluptatis tuæ? Surgam igitur, & tecum bibam vinum tribulationum, sciens, quòd in recordatione tui potûs dulcedinem expertus sim; nam *dulcia non meruit, qui non gustavit amara.*

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(m) *Matth.* 27. (n) *Cant.* 5. (o) *apud Rudolph. de Saxon p.* 2. *vitæ Christi c.* 15. (p) *Jacob Tyrinus in cit. passum ex Cant.*

Statio XI.

Christus Cruci affigitur.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

CUm unicè in votis fuerit Judæis JESUM Crucifixum cernere, & mortuum : idcirco rabidorum instar canum eum invadunt, perfodiunt, trahunt, dilaniant, & quasi exenterant, velocésque non tantùm pedes, sed & manus eorum fuêre, ad effundendum sanguinem JESU Christi.

Hos Judæos, carnificésque imitatur, aut superat luridus Sacerdos, qui, quàm primùm corpus JESU de cœlo tractum, in suas cruentas accepit manus, statim incipit crucifigere, illud in altare (velut denuò in duram crucem) prosternendô raptim, hinc inde raptandô, discerpendô, accelerandô, donec illud quasi occisum videat in suo stomacho. Cuidam ex horum numero quondam in aurem dixit S.Bonav. Epis. *Virginis Filium tractas.* Sed repones: parcendum esse candelis, hominésque non detinendos. Ast heus tu! ut candelis parcas, Filio Dei non parcis! crudelis es in Deum, pius in candelam. Prô pudor! ad hæc homines, sæculares etiam summoperè scandalizantur, & scandalô datô detinentur. Post hanc crucifixionem, velut triumphans de musca Domitianus, ad fabulas converteris. Ah utinam! pectus tunderes dicens : *Verè Filius Dei erat iste.* (q)

O Christe JESU! ego, qui mea in celebrando luriditate, & post celebrationem ingratitudine tortoris

toris personam sustinui: studebo deinceps per devotissimam celebrationem Sacerdotis partes implere. Ah! auge in me reverentiam tanto Mysterio debitam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(q) *Matth.* 27. v. 54.

Statio XII.

JESUS in Cruce moritur.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

Aspice, ô anima Religiosa! Deum tuum in Cruce pendentem, titubantem, desolatum, & morientem. Aspice! nam JESUS aliud pro morte sua à te præmium non exspectat, nisi unicum ejus in Cruce aspectum.

Aspice! sed affectu beatæ Elisabeth, (r) cui ex aspectu Crucifixi, honores, pompæ, sæcularia desideria, & cura carnis, adeò desipuerant, ut deliquium passa in terram conciderit. Utinam & illa tibi tandem desiperent! Aspice! sed oculîs illis, (s) quæ per Ecclesiam ad choreas properans, conspecta Crucifixi imagine] hæc verba sibi dici audivit: *Vade; fruere mundanîs vanitatibûs, oblita, quòd ego tui causâ in cruce suspensus, & extensus hæream.* Qua voce, velut fulmine icta, corruit, mundo valedixit, & in ordine Carmeli adeò virtutibûs splenduit, ut palàm constaret, quid sit JESUM aspexisse crucifixum. Vade & tu, ô Re-

ô Religiose ! vade ! & delectare vanitatibûs, & dissolutionibûs. Sed quæso te ! vel semel JEsum pro te Crucifixum aspice. Si hic te aspectus non moveat, vades, imò properabis ad æternam perditionem.

O JESU ! quò vadam, nisi ad te ? vulnerâsti cor meum : ô Dilecte mi ! vulnerâsti, & rapuisti illud ab amore vanitatum, & levitatum, ad amorem Crucis, ad sitim Religiosæ observantiæ, ad fugam tepiditatis, O Amor mi ! nè permittas me separari à te ! ô bone JESU exaudi me !

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei

(r) *Surius in vita.* (s) *B. Anna à S. Bartholom. apud P. Fritsch. f. 120.*

Statio XIII.

Corpus Christi de Cruce deponitur.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

POstquam JESUS emisit spiritum, per manus Josephi, & Nicodemi, depositus est de Cruce, & ad sinum Virginis Matris reclinatus.

Talis decuit sinus Crucis amatorem Christum. Ast, si ego in Cruce pœnitentiæ, & veræ Religiositatis mortuus fuerim, tunc non hominum, sed Dei manibus de cruce deponendus sum, & deportandus, non in sinum hominis, sed in sinum Abrahæ, ut ibidem hæreditatem capiam salutis.

Ita

Ita nimirum Deus amat Crucis Religiosæ amatores! & ego eam tam parum amo !

O MARIA, Virgo dolorosissima! per tuos, & Filij tui dolores rogo te : illos tuos misericordes oculos ad eundem Filium tuum pro me miserabili peccatore converte, ut verum mihi instillet crucis amorem, & post crucem præsentis miseriæ, felicem ad sinum Abrahæ depositionem, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

Statio XIV.

Sepelitur Corpus Christi.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

CHristus est sepultus, postquam vitam triginta trium annorum laboribûs, sudoribûs, ærumnîs, & doloribûs, sed & meritîs plenam, finierat.

Religiose ! si tu hodie deportareris ad sepulchrum, quot putas, numerares annos in Religione transactos : annos, inquam, non ætatis, sed Religiositatis, sanctitatis, laborum, mortificationum, meritorum! *Filius unius anni erat Saul, cùm regnare cæpisset.* (*t*) Et quot annorum tu eras filius verus tui S. Fundatoris ; cùm sepeliri cœpisses ? forsan nec unius diei, nè dicam anni. Exurge igitur, qui dormis, & illuminabit te Christus. *Si enim persona Religiosa, sui tantùm commodi sordidè studiosa, ùt plurimùm de peccatis solùm gravioribus cavendis solicita fuerit, de reliquo aut ex*

malitia

malitia, aut negligentia in omnem ſeſe laxitatem effuderit, ingratitudo hæc erga Deum graviſſimam meretur cenſuram. (u)

O Domine Deus meus! fateor: licèt multos jam annos in Religioſo ſtatu, & habitu numerem, ſi tamen Religioſam perfectionem computaveris, infans unius diei ſum. Aſt nunc tandem ſerò licèt, tua Divina vegetante gratia, ab infantia mea Religioſa, excuſsîs vanitatum, ac tepiditatum crepundiîs ſtudebo evadere in virum perfectum, in plenitudinem ætatis Chriſti, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(t) 1. *Reg.* 13. (u) *Cam Hect. p.* 3. *ſolit. ſac. f.* 74.

Statio XV.

Crux Chriſti ſalvifica.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

HÆc eſt Crux illa, quæ quindecim pedes longa, & octo lata, humeris Salvatoris incubuit, & eum morientem ſuſtentavit.

Nunquid gauderes, ô Religioſe! ſi tibi vel minima hujus ſanctiſſimæ Crucis particula obtingeret? utique. Sed en! non particula tantùm, ſed tota Crux te exſpectat. Venalis eſt; compara eam, ſi vis. Vacua eſt, te exſpectat, & à te poſſideri tota parata eſt. Occupa igitur, & aſcende eam. Non deterreat te ab ejus conſcenſu, Crucis altitudo, aut ab emptione, pretium. En tres gradus

dus tibi ſuppono, totidémque, quibûs eam coëmas, denarios. Qui illi? primus eſt poſſibilis parſimonia in cibo, & potu. Secundus: omnis poſſibilis taciturnitas. Tertius: attenta, & fervens oratio. Hos applica gradus: hos expende denarios; & haud procul aberit, quin ſis perfectus Crucis poſſeſſor.

O ſalve amatum Crucis pignus! in meos te theſauros inferam. Non pœnitebit, nec terrebit me trium illorum denariorum pretium. Dicat homo inferior, quidquid velit: mea eris tota! Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

PRAXIS X.

Statio I.

Injuſta Pilati contra Chriſtum ſententia.

℣. Adoramus te ſanctiſſime Domine JESU Chriſte, & benedicimus tibi!

℟. Quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

CHriſtus nec confeſſus, nec convictus, nec legitimè accuſatus, ſed ab ipſo Judice pro innocente agnitus, damnatur nihilô minus ad probroſam Crucis mortem.

In hac ſententia contra prima Juris, ac æquitatis principia, erratum eſt. Ah! utinam non errâſſem

râssem ego contra prima Statûs Religiosi principia! Quæ illa? (a) *primum principium* status Religiosi est: *Vivendum esse juxta voluntatem superioris.* Et ego juxta meam volui vivere. *Primum principium* est: quòd *status Religiosus sit status Pœnitentiæ.* Et ego meas sectatus sum commoditates. *Primum principium* est: *non affigere animum certo loco, officio, rei, personæ &c.* Ego autem non fui penitùs indifferens. *Primum principium* est: *impossibile esse, placere omnibus.* Et ego turbor, si rectè factô, uni, alterive displiceo.

O JESU! contra prima statûs Religiosi principia erravi, & eheu! frequenter nimis. Injusta tamen Pilati sententia dedocebit me meos graves errores, & Divina tua aspirante gratia efficiet me Religiosum Principistam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(a) *Camill. Hector. p. 3. solit. Sac.*

Statio II.

Christo Crux imponitur.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

AUditâ mortis sententiâ tripudiant Judæi, ac exultant, quòd victoriam contra JESUM innocentissimum reportârint. Hinc currunt, & gravissimum Crucis truncum ad pedes JESU projiciunt, ab eo tollendum.

Hæc Judæorum detestanda exultatio quavis cru-

ce graviùs honeſtiſſimum JESU Chriſti afflixit animum. Vide Religioſe! an non ſimili dolore cor illud amabiliſſimum diſcrucies, dum lætaris, cum malè feceris, & exultas in rebus peſſimis? Abſit! ut glorieris de tua velocitate in celebrando: de tua dexteritate, in tuo inimico denigrando, aut quovis modo lædendo; de tua audacia in reſiſtendo Superioribus, & contradicendo: de victoria in compotando, de tui præſtantia intellectûs, rebúsque, ùt út bene peractis, & alijs ſimilibus, quæ mundo riſum, & admirationem, Chriſto autem, & tuæ animæ non leve vulnus infligunt.

O JESU! abſit à me tam temeraria gloriatio. In hoc ſolo deinceps gloriabor, ſi ex amore amoris tui meipſum poſſum vincere, mortificare, & ab alijs toleranter mala pati, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio III.

Chriſtus primò ſuccumbit Cruci.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

EXtremè infirmus cadit; ſed miraculosè reſarcitîs viribûs, quæ ad Crucem doloroſiſſimè ferendam ægrè ſufficerent, denuo procedit. Noluit ſcilicet non crucifixus mori, factus obediens uſque ad mortem.

Hujus ſuæ admirandæ obedientiæ teſtem invocat univerſum mundum; (*b*) *Ut cognoſcat mundus,*

 quia,

quia, ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio; ſurgite: eamus hinc. O Religioſe! ſi tu aliquando diceſſurus es ex hoc mundo, potésne ſalvâ conſcientiâ vel à ſolo ſuperiore tuo tale petere teſtimonium, quòd exactè, promptè, alacriter, absque contradictione, absque ſtrepitu, murmure, & indignatione, executus ſis omnia, quæ præcepit tibi Pater, id eſt, tuus Superior, aut Pater Divinus in tuo Superiore? An verò fors in illis tantùm fuiſti obediens, quæ non fuêre contraria appetitui ſenſitivo? aut, ſi fuêre contraria, obediviſti quidem; ſed ex mero reſpectu humano, cum multa amaritie animi &c.? Profectò cum ſimili teſtimonio non admitteris ad univerſitatem cœleſtem.

O JESU! facte obediens non tantùm uſque ad terram, ſed uſque ad mortem Crucis! tuis ego pedibus ſubſterno omnem meam voluntatem, & univerſam meam libertatem. Vos jam, ô Superiores mei ſacratiſſimi! præcipite, quidquid velitis, modo non ſit contrarium animæ meæ, & Regulæ noſtræ: & ego amore JESU obedientiſſimi ero vobis obediens uſque ad mortem, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*b*) *Joan. 14. v. ult.*

Statio

Statio IV.

Christus obviat Matri.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

REX cœli Christus JESUS, sicut voluit Matrem coronare cœlorum Reginam, ità voluit ingentium dolorum suorum non spectatricem tantùm, sed & consortem.

Lex Medorum, atque Persarum erat, ut omne decretum, quod constituerit Rex, non liceat immutari. (*c*) Veriùs hæc lex est Christianorum, ac Religiosorum, ut omne decretum, quód constituerit Rex cœli, & terræ, non liceat immutari. Constituit autem JESUS Christus hanc legem: (*d*) *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.* Quomodò autem disposuit tibi Pater regnum? *Per calicem Passionis*, ait. (*e*) Hunc calicem etiam gustare debuit Mater sacratissima. Gustavit etiam, & multùm gustavit, & plùs cæterîs omnibûs creaturîs rationalibûs. Religiose! vides jam: aut nolle regnum, aut velle calicem passionis debes. Quare ergo nihil vis ab altero sufferre? à te ipso nihil mortificationis pati? aut cur patiendi occasiones, à Deo permissas, & immissas maximopere respuis? Cave: nè regnum respuas.

O JESU! *si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* (*f*) Calicem salutis, & regni æterni, accipiam, & non dimittam. Non horrebo spinas, ut rosîs potiar. Amarus sit li-

cèt cortex, dulcis eſt nucleus. Guſtabo ego cum JESU, guſtabo cum MARIA, cujus interventu ſpero fore, ut frequens hujus calicis evacuatio proficiat mihi in vitam æternam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(c) *Dan.6.v.15.* (d) *Luc.22.* (e) *Oleaſter in loc. cit.* (f) *Matth. 26.*

Statio V.

Simon cogitur Crucem ferre poſt JESUM.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CUm JESUM denuo viribûs deſtitui cernerent carnifices, in Simonem Cyrenæum, toto corpore, & animâ reluctantem, & ſeſe ſubducere ſatagentem, transferunt pondus Crucis.

Quid ais? ô Simon! an Filius Dei eſſe detrectas? ſi ità: plus te tua confundet amentia, quàm humilis bajulatio Crucis. Si non detrectas: ergo nec Cruci te ſubducere debes; *Si enim Deus flagellat omnem Filium, quem recipit; ſinè dubio, quem non flagellat, non recipit.* (g) *E duobus elige, quod velis:* dum enim Crucem ſuſtines, *aut ſanctus es? & probaris. Aut peccator? & injuſtè quereris, minora ſuſtinens, quàm mereris.* (h) Hæc tibi dicta crede, ô Religioſe! & in omnibus, quæ adverſa pateris, te ipſum intrans examina, an crucem patiaris, ùt ſanctus? an ùt peccator? Non ùt ſanctus; aliàs non eſſes adeò impatiens.

Si

Si ut peccator : Crucem meruiſti, & majorem meritus contrà minorem injuſtè quereris.

O Deus ! digna ego factîs recipio. Tu concede, ut per Filij tui patientis innocentiam, meus, nocentis, reatus in Cruce ejusdem deleatur, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(g) S. Aug. ſer. 105. de temp. (h) S. Hier. Ep. 25. ad Paulam.

Statio VI.

Veronicæ erga JESUM officioſitas.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

MIſerandus erat aſpectus faciei Divinæ, quam omnî poſſibilî, à diabolis inſpiratô modô, dehoneſtavit Judaica perfidia. Hinc Chriſto intimè compaſſa Veronica, velô capitis ſui, ſordes deterſit.

Aſſiſtat hîc devota anima (exclamat V. Beda, (i) *& Paſſionis colligat faſciculos, in quos, nè pereant, pretioſas guttas ſuſcipiat; rubicundum Dilecti ſui corpus* (faciem) *fletu abluat, & gratiarum actione tergat.* O Religioſe ! accede, & fœtentia ſputa, ulcera, rabiem, & concretum frigore ſanguinem, à facie Domini amove. Poteriſne hoc facere absque horrore, & nauſea ? vix poteris. Qualem ergo fœtorem, & horrorem habebunt tua peccata, & transgreſſiones, coram facie Domini ?

 Ah !

Ah! non ſum ille, quem tu formâſti, innocens, juſtus, & pius; ſed confuſio cooperuit faciem animæ meæ. O JESU mi! in ſanguine tuo reforma me, nè perdat iniquitas mea, quem tua fecit, & refecit omnipotens bonitas, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe miſerere mei.

(i) *Ser. 6. de Paſſ.*

Statio VII.

Chriſtus ſecunda vice cadit in terram.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

REdeunte virium defectu, JESUS denuò, (quod absque gemitu cogitari non poteſt:) in terram ſemi-mortuus prolabitur.

Cur hoc? *Quia copioſa apud eum Redemptio.* (k) Non ſufficit ejus inſatiabili Reverentiæ, ut una tantùm vice pro meis peccatis proſternatur, ſed iteratîs vicibûs, de genu ſupplex, veniam à Patre pro meis peccatis flagitat. Sequere Chriſtum, ô Religioſa anima! non ſufficiat tibi, vota tua ſolemnia quoad ſubſtantiam præcisè obſervâſſe; ſed verbi unius ſuppreſſionem, aliquod honoris punctulum, & incommoditatulam aliquam ſupererога, & ſacrifica: verbum pungens pleno gutture degluti: aures, oculósve quandoque pauliſper cohibe. Sed utique non dices: hoc facere non eſſe peccatum. Nec enim Chriſtus peccâſſet te non redimendô, nec David præ ſiti ferè emoriens,

riens, aquam exhauriendô. Et tamen Chriſtus infinita ſupererogavit: & David *aquam noluit bibere, ſed libavit eam Domino.* Et Rex erat David, ac miles; nos Religioſus. Hîc ſtans delibera, an exemplum Chriſti tuam mereatur ſequelam?

O JESU! ſi tuum me non movet exemplum, meritò timeo, nè tanquam ovis ſcabioſa à tuo excludar ovili. Plurima tu pro me feciſti, & paſſus es: deinceps plura etiam ego pro te faciam, & patiar. Vincam, quod delectat: fortiter aggrediar, quod terret: feram leniter, quod dolet.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Pater, & Ave.

(k) *Pſalm. 129.*

Statio VIII.

Mulieres lugentes, ſuper JESU.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

VIdens JESUS fletum, & luctum Mulierum, converſus ad eas dixit: *Nolite flere ſuper me; ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* (l) *Hîc verbîs* (ait non nemo) *Chriſtus Mulieres, ſibi condolentes, ad inferni pœnas jubet reſpicere: nec extremos ſuos doleres æſtimat hîs comparatos.* (m) Quòd Deus innocuus, quòd amicus noſter, & benefactor maximus; quòd à ſceleratis, quòd ab electo populo ſuo, & à tam ingratis patiatur: quòd in opibus, in fama, in honore, per contemptum Divini-

vinitatis ſuæ, & mille opprobria; quòd in potentiis, ſenſibus, ac membris omnibus, quòd diverſiſſimo, ac atrociſſimo ſuppliciorum genere patiatur: hoc totum parum eſt, ac vix deflendum, ſi ad futuras reproborum pænas attendamus. Pæna Chriſti temporalis fuit, pœna inferni eſt æterna. Illa erat Patris Filium caſtigantis; hæc eſt hoſtium: illa miſericorditer plectentis Dei; hæc nunquam miſerentis: illa crudelis quidem, hæc prorſus immaniſſima. O peccati pravitatem, & gravitatem!

Ergóne, mi JESU! potiùs vis, ut mihi, quàm tibi compatiar, nè veniam in hunc locum tormentorum, quem quidem peccata mea ſæpius meruêre: te tamen iniquitates meas portante ab illa voragine hactenus præſervatus ſum. Tu eras lignum viride: ego aridum; ſed nè excidar, æternis incendiis deputandus, nunc firmiſſimè ſtatuo: infinities millies mori malo, & omnia, etiam ipſius inferni tormenta, ſuſtinere, quàm gravî te peccatô offendere, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*l*) *Luc.* 23. (*m*) *P. Maſenius in Duce viæ. Medit.* 3. *diei* 6.

Statio IX.

Tertius Chriſti lapſus.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CHriſtus Crucem ſibi bajulans, totus quantus dima-

dimanabat ſanguine, tum ex Crucis concuſſione, tum ex verberum condenſatione. Verbô: adeò viribûs erat exhauſtus, & doloribûs obrutus, ut tertia vice crudeliter in terram proſterneretur.

In hac figura, cùm Chriſtus B. Catharinæ Genuenſi apparuiſſet, ipſa hoc ſpectaculo ſummopere commota exclamavit: *O JESU! non ampliùs peccare: ô JESU! non ampliùs peccare.* Dein protinus confeſſione generali præterita delicta expiavit, ac tantum de peccatis horrorem concepit, ut ſanctitatis miraculum evaderet. (*n*) Aſpice, ô anima mea pari affectu JESUM, & exclama, dolore cordis tacta intrinſecùs: *O JESU! non ampliùs peccare. O JESU! non ampliùs peccare.* Et certè *infinita eſt audacia peccatoris, qui poſt tale ſpectaculum peccare non formidat.* (*o*)

O JESU! non ampliùs peccabo. Non lavabo manus meas in ſanguine innocente. Divinus tuis pedibus advolutus per tuum te ſacratiſſimum ſanguinem, & cruenta obteſtor vulnera: efficacem confer gratiam, ut non amplius peccem tibi. *O JESU! non ampliùs peccare.*

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*n*) *P. Fritſch. f. 82.* (*o*) *S. Thom. Vill. ſer. 2. Advent.*

Statio X.

Chriſtus probroſè denudatur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

EXtremam confuſionem ex probroſiſſima veſtium

ftium detractione fuftinet honeftiffimum, & Regium cor JESU Chrifti.

Accede, Religiofa anima! JESUM tuum contege, & tuniculam confue ex quotidiana quadam devotione erga dolorem hujus tremendæ verecundiæ, ut in hora mortis audire merearis à Chrifto, quod olim ille: *Martinus adhuc catechumenus hac me vefte contexit.* Operire nudos eft actus mifericordiæ corporalis, quem, cùm non poffis exercere corporaliter, exerce fpiritualiter, JESUM piîs affectibûs, & devotiunculîs veftiendò.

O verecundiffime JESU! ago tibi cordialiffimas gratias, pro ineffabili illo pudore, & rubore, quem in ignominiofiffima, ac dolorofiffima veftium tuarum detractione perfenfifti, eúmque cum intima gratitudine, ac compaffione offerens, rogo, ut ejus virtute in gratiam tuam me recipias, & ab æterna confufione, quam quidem peccatîs meîs fæpiùs merui, mifericorditer præferves, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miferere mei.

Statio XI.

Chriftus Cruci affigitur.

℣. Adoramus te, ùt fuprà.

IN Crucem immani rabie profternitur agnus Dei innocentiffimus, ejúsque manus, & pedes, obtusîs, ac oblongîs clavîs perforantur.

Heu factum malè! Judæi JESUM crucifigunt, non

non attendentes publicum ipſius Judicis teſtimonium : ſe nullam in eo mortis cauſam invenire. (*p*) Reponunt perfidi unanimiter vociferantes : *Reus eſt mortis.* Sed quæ mortis cauſa ? *Filium Dei ſe fecit.* (*q*) Ah utinam ſimilis cauſa inveniretur in me ! Extremè oppoſitum de me verificatur, qui, cùm eſſem filius Dei per gratiam, feci me filium diaboli per peccatum. Ego igitur ſum reus mortis ; & tamen nemo me condemnavit.

O JESU ! per Paſſionem tuam amariſſimam deſtrue in me, quod ego feci, ut reformetur in me quod tu feciſti ; nè deinceps coram tremendo tuo tribunali reus mortis inveniar, & cum filijs diaboli æternùm excrucier, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(*p*) *Joan. 19.* (*q*) *Ibidem.*

Statio XII.

Chriſtus in Cruce moritur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

JEſus Nazarenus Rex Judæorum (quô titulô eum inſignivit Pilatus pro Crucis ſuperſcriptione) confectus vulneribûs, conſummatus ingentibûs doloribûs, tandem in manus Patris beatum emiſit Spiritum.

Conſidera Religioſe ! qualiter JESUS Regis titulum, quem aliàs nec acceptavit, nec uſurpavit, ſed extremè fugit, in Cruce ſuſpenſus, & extenſus

extensus admittat. Voluit nimirum è cathedra Crucis docere, illum verè esse Regem, qui mundo, & cui mundus est crucifixus. Eja age! sepone humilitatem, Regiam ambito dignitatem! conscende thronum; & esto Rex passionum tuarum, affectuum, pravorum carnis, diaboli, & mundi universi!

O JESU! quia tibi placet, ut Rex sim ego: Doce manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum: ut contra hostes, & invasores regni mei, strenuè decertem, & per gratiam tuam triumphem, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio XIII.

Depositio Christi de Cruce.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

CORpus Dominicum, de Cruce depositum, ad sinum Virginis Matris reclinatur. Quare? ideò, ut aëris inclementiâ, & mortis frigore congelatum in amorosissimo Virginis Matris sinu, quasi foveatur.

Et quis æstimabit amoris incendium, quo B. V. MARIA conflagraverit viso cruento, ac excarnificato Filij sui corpore? S. Maria Mag. de Pazzis (*r*) in aspectu Crucifixi tanto amoris agebatur impetu, ut per Monasterium cursitans, alta voce identidem ingeminaret: ò *Amor!* ò *Amor!* ô *Amor!* Quomodò ergo Mater amantissima temperare sibi

bi potuerit, quin in aſpectu non crucifixi tantùm, ſed & dilaceratiſſimi corporis Filij ſui per incomprehenſibilem intolerabilis amoris exceſſum exclamârit: *O Amor! O Amor! O Amor.*

Ah Divine Amor! cordi meo frigidiſſimo te pariter inſinua: & vel minimum igniculum ſinceri amoris in eodem excita! ita rogo te per reverentiam ardentiſſimi amoris illius, quôd te Mater tua Virginea, de Cruce depoſitum excepit, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei

(r) *in ejus vita.*

Statio XIV.

Corpus Chriſti defertur ad ſepulchrum.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

EX oculis Matris, ac devotorum Chriſti Diſcipulorum delatum eſt Corpus Domini ad monumentum, ibidémque ſepultum.

Sepultô Dominô non ſepeliebantur ejus mira facta, & geſta; ſed Spiritus S. inſiluit in Apoſtolos, & Evangeliſtas, qui de ejus glorioſis operibus, vita, converſatione, miraculis, paſſione, & morte ſunt teſtificati. O Religioſe tepide! ſi poſt tuam mortem exurgeret quidam Notarius, tua facta Religioſa conſcripturus: Quid aliud poſſet ſcribere, niſi hoc ſolum: Hic homo promiſit Deo multum, & ſervavit parùm. Aut: *Hic homo cæpit ædificare, & non potuit conſumare?* (ſ) Stude

igitur æternitati laborare, ut tui memoria apud Deum in benedictione ſit.

O JESU! da gratiam, ut, qui hactenus vivus jam in ſepulchro ignaviæ, & teporis delitui, poſthac incipiam vitæ ſpiritualis ſigna, & opera edere, nè coram te appaream mortuus; ſed annotari merear in libro viventium, & beatæ prædeſtinationis, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*f*) *Luc. 14.*

Statio XV.

Signum ſanctæ Crucis.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

HElena Imperatrix ſedulò Crucem quæſivit, inventámque amavit, ac honorificavit. Hinc majus ſibi decus ex S. Cruce, quàm ex imperatorio titulo comparavit.

O Religioſe! eſto & tu ſedulus Crucis amator, & eris Imperator paſſionum tuarum, eas in Crucem agendô, de Cruce, & tribulatione gaudendô, ac gloriandô. Et parem cum B. Helena fructum feres, nimirum gloriam ſempiternam.

O JESU! ab humili Crucis tuæ amore generoſiores mihi ſuggere Spiritus, ut ad imperatoriam poteſtatem erga hoſtes tuos, irrefrænatas meas concupiſcentias, exercendam promptus inveniar;

quate

quatenus adimpleam illud : *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* (*t*)

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere meí.

(*t*) *Gen. 4. v. 7.*

PRAXIS XI.

Statio I.

Chriſtus injuſtè condemnatur.

℣. Adoramus te ſanctiſſime Domine JESU Chriſte, & benedicimus tibi !

℟. Quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

AIt Pilatus ad Judæos JESUM per invidiam accuſantes : *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate.* (*a*)

Pariter Divinus Pater ad ſacrificantes, aut communicantes, videtur dicere : *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate.* Et revera accipiunt eum in manus ſuas, in os, & in cor. Judicent ergo eum ſecundùm legem ſuam. Quænam illa ? Non alia, quàm ut omnî poſſibilî reverentiâ eum tractent : ut fervido eum affectu adorent : ut dignos Deô mores oſtendant : ut in vocatione, qua vocati ſunt, ædificatoriè ambulent. Judicâſtine, feciſtine ſecundùm legem hanc ?

O DEus ! conſcientia me mea reprehendit, & damnat,

damnat, ac arguit de peccato luridæ præparationis, & indignæ converſationis. Studebo deinceps me emendare, & ad corpus tuum Euchariſticum digniùs accipiendum, ac tractandum, devotius præparare, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(a) *Joan.* 18.

Statio II.

JESUS Crucem ſuſcipit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

UT primùm ad Crucis mortem condemnavit JEſum Pilatus, mox Judæi gravem Crucis trabem ad pedes JESU projiciunt: JESUS autem mox ſe inclinat, ac cum ingenti animi promptitudine, haud ſecùs, acſi pretioſum tolleret theſaurum, eandem de terra in ſuos levavit humeros.

Diſce à Chriſto, ô Religioſe! promptè, & alacriter te cuivis Cruci inclinare, eámque in humeros tuos imponere; & experieris, Crucem non eſſe pondus, ſed ſubſidium: non onus, ſed levamen. Expertus id eſt Theodoſius Imperator, qui, cum in Regia aula deambulans, lapidem conſpexiſſet Cruce ſignatum, Crucis reverentiâ commotus præcepit eum tolli, & loco honeſtiore collocari: quo ſublato alius denuo apparuit lapis, pariter Cruce ſacrâ notatus, & poſt hunc

terius, quibûs pariter ſublatîs ingens theſaurus inventus eſt. (*b*) Ecce! quòd Theodoſius lapidem Cruce ſignatum levaverit, incomparabilî theſaurô ditatus eſt. Quô non theſaurô te putas potiturum, ſi ipſum ſalvificum Crucis ſignum cum Salvatore tuo in tuos levaveris humeros, & patienter mortificationes, tibi à temetipſo, aut ab alio inflictas, portaveris. Hanc veritatem quidem agnoſcis; ſed non obſervas.

O JESU! per illam infinitam dignationem, quâ te alacriter ad ſuſcipiendam pro me Crucem inclinâſti, rogo te: inclina voluntatem meam ad omne adverſum pro te promptè ſuſcipiendum. Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*b*) *P. Fritſch. f. 142.*

Statio III.

Chriſtus primò ſub Cruce corruit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

AFflictus, contritus, excarnificatus, ſanguine difluens, ſanie ſcatens, livore tabidus, ſputîs deformatus, innumerîs vulneribûs debilitatus, ac ſemi-mortuus Salvator ſub immani Crucis pondere fatiſcens in terram prolapſus eſt. Spectaculum ſanè non miſerandum tantùm, ſed & expaveſcendum.

Et quis inhumanus adeò ſit, & brutus, quem

terrificus iste sui Creatoris aspectus non moveat? Si enim amici Job non potuêre videre sedentem in fimo dolorosum, & afflictum, quin extrema commiseratione commoti adeò fuerint, ùt testatur Scriptura: (c) *Exclamantes ploraverunt, scissísque vestibûs sparserunt pulverem super caput suum, & sederunt cum eo in terra septem diebûs, & septem noctibûs, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.* Quod cor Religiosum præ luctus vehementia non contabescat, videns, & poderans (si tamen ponderari possunt) abyssos dolorum JESU Christi?

O abyssalis dolor! quia te non possum capere, cape me: & lacrymas ex oculis, singultus ex corde, ex anima compassionem, & mortualem peccatorum horrorem extorque, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(c) *Job. 2. c. v. ult.*

Statio IV.

Christus occurrit Matri.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

VIrgo Deipara tristî spectaculô lugubrem Filij sui vultum, antequam moreretur, studuit contemplari, ut eò dolorosiùs eidem compateretur.

Imitare, ô Religiosa anima! exemplum singularis omnium Religiosorum Patronæ MARIÆ, ut, quem-

quemadmodum ipſa ſollicitè quærebat occaſiones videndi ſuum dilectiſſimum filium, eique poſtremò colloquendi, priusquam in ara Crucis pro totius mundi delictis ſacrificaretur; ita & tu, antequam eum in altari incruentô modô ſacrificas, aut ſumis, inſpicias eum patientem. Non te pœniteat doloris exinde concipiendi, aut temporis conſumendi. Vera enim, & condigna præparatio ad memoriale Paſſionis celebrandum eſt ipſa ſacratiſſimæ Paſſionis compaſſiva recordatio.

O JESU! qui incruentum ſacrificium in perpetuum tuæ Paſſionis memoriale inſtituiſti: concede propitius, ut per merita doloroſiſſimæ Matris tuæ cum frequenti hujus ſacrificij celebratione, & participatione creſcat compaſſiva tuæ amariſſimæ Paſſionis memoria, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio V.

Simon cogitur ferre Crucem.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

SImonem Cyrenæum, qui lamentabili aſpectu JESU nec quicquam commotus eſt, coëgêre Judæi, ut Crucem ferret poſt JESUM extremè debilitatum.

Certè Simon id obſequij non denegâſſet homini, qui magna ejus debita expunxiſſet, eum è carcere liberâſſet, aut morti proximum ſanâſſet, aut propter grave delictum capitis damnatum libe-

râsset. Et quid faciat Religiosus Deo suo, qui gravissima peccatorum debita, sua omnia expendendô, solvit; ab æterna captivitate impendiô suæ libertatis eripuit, lethaliter decumbentem suo sanguine sanavit, sempiternæ mortis reum suæ vitæ pretiô vindicavit? Hoc faciat, & in vicem gratitudinis humeros Cruci, & afflictionibus undeunde adventantibus patienter subdat, suúmque corpus supererogatorijs quandóque mortificationibus spontè subjiciat. Hoc enim meretur Deus, hoc gratitudo postulat.

O JESU! da animum, ut te liberem, & me Cruce onerem: quia nec à me aliud exigis, nec ego tibi aliter satisfacere possum, nisi satìs patiendô.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio VI.

Veronica cum sudario.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

VEronica videns deturpatam adeò Divinæ faciei Majestatem, temperari sibi non potuit, quin accurrens mundô capitis sui velamentô maculas detergeret; sed pietatis suæ immensum retulit præmium.

Considera Religiose! quòd certò certiùs facies Divina Veronicæ velô non fuisset impressa, si illud Christo sinistro affectu porrexisset, forsan vanam aucupatura gloriam, aut misericordis, vel devotæ matronæ prædicatum relatura. Sed quæ

tuæ

tua intentio in tuis operibus, laboribus, ſtudijs, aliisque omnibus actionibus, etiam de ſe pientiſſimis? an unicè Divinæ ſpectas faciei reverentiam, honorem, & gloriam? Sanè, ſi aliorſum collimas, fruſtra fatigaris.

Dirige Domine Deus meus in conſpectu tuo viam meam, ut oculus rectæ intentionis ſit lucidus, nec aliud laboribus meis expetam præmium, niſi faciem tuam Divinam, quam viſurus ſum ego ipſe, & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt. Fiat! Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio VII.

Alter Christi ſub Cruce lapſus.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

EX immaniſſimo lictorum procendi modo JESUS lacrymabili ruinâ in terram dejicitur, & ægerrimè ſub Cruce reſpirat.

Ah anima mea! in te ipſam revertere: & relinque Domino Deo tuo vel modicum reſpirandi ſpatium, fractáſque vires recolligendi, ceſſandô interim à tuis uſitatis luritatibus, diſſolutionibus, converſationibus, inveteratis tepiditatibus, quæ JESUM quodam modo propellunt, & mirum in modum defatigant. Propone hîc ſtante pede hac ſeptimana ſingularî curâ abſtinere ab ijs actibus, quibus nôſti te, leviter licèt, ſæpius tamen delinquere.

Reſpira, ô mi JESU! reſpira! & ſpiritum ſanctum tuum cordi meo inſpira, ut novo fervore, novô ſtudiô, novâ cautelâ leviores emendem errores, in quos frequentiùs prolabi ſolitus te ſæpius offendo, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio VIII.

Turba Mulierum Chriſtum lugentium.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

MUlieribus compaſſivîs lacrymîs ſeſe deflentibus dixit Salvator: *Filiæ Jeruſalem: nolite flere ſuper me.*

En! *Filiæ*, ait. O titulum paterno affectu plenum! longè nobilioribûs titulis Religioſos condecorat amantiſſimus Deus Deut. 26. dicens: *Dominus elègit te, ut ſis ei populus peculiaris, & cuſtodias omnia præcepta ejus: & faciat te excelſiorem cunctis gentibûs, quas creavit in laudem, & gloriam ſuam, ut ſis populus ſanctus Domini Dei tui.* Religioſe mi! ſi nunc Dominus in hac imagine ſua, ſicut olim mulieres in via Crucis corporaliter alloqueretur: putas, poſsérne cum veritate te appellare *populum peculiarem*, ſegregatum à peccatoribus? *cuſtodientem omnia præcepta ejus? excelſiorem cunctis gentibûs* in mundi, & vanitatum contemptu, ac virtuoſis exercitationibus? ſi non: jure dicet tibi: *noli flere ſuper me, ſed ſuper te ipſum fleto.*

Et ah! utinam flerem ſuper me, meóſque defe-

ctus

ctus in Religione commiſſos, deflerem inceſſanter, ut univerſa tepiditate remota, excelſior cunctîs gentibûs, fiam pars digna populi pecculiaris Religioſi, quem creavit Dominus in laudem, & gloriam ſuam. Placebo igitur Domino in regione vivorum.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio IX.

Chriſtus tertiò cadit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

UBi ad pedem montis Calvariæ ventum erat, ſubitò viribûs omnibûs deſtitutus JESUS Chriſtus lapſu horrendiſſimo jam tertiò corruit.

Montis nomine intelligitur diabolus, cui dicit Chriſtus: *tollere, & mittere in mare.* (d) Talis mons eſt quoque ſuperbia, avaritia, gula, luxuria, acedia &c. Ad pedem igitur hujus montis cadit Chriſtus, cadit ad pedes ſuperbi, guloſi, acedioſi &c. ut diſcas humiliari, gulam cohibere, acediam excutere &c. Infirmatur Virtus Dei, ut te confortet, ut te doceat dicere huic monti, ſuperbiæ, acediæ &c. *Tollere, & mittere in mare* Paſſionis Dominicæ, ibidem fluctibûs ſanguinis JESU Chriſti abſorbendus, & comminuendus. Eja Religioſe! tolle, & mitte in mare, ſi quos tecum circumfers montes, excute vitia, impugna impugnantes hoſtes ſpirituales.

O JESU! qui ad pedem montis Calvariæ ſu-

perandum vires naturales non habuisti : ecce ! ego non unum, sed multos, & ingentes quidem peccatorum, & pravorum habituum montes superandos habeo. Ah ! tu nôsti, quòd viribûs naturæ nihil possim : tua ergo infirmitate me firma, ut omnes illos montes è medio tollere, & superare valeam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

(d) *Marc. 11. v. 23.*

Statio X.

JESUS exuitur vestimentò.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

SAcerdos secundùm ordinem Melchisedech Christus JESUS, futurus cruenta hostia, propriîs exuitur vestibûs.

Perpende Religiosa anima ! quòd nemo Sacerdos ad sacrificium celebrandum absque Paramentis accedat. Ideo & summus Sacerdos JESUS se ipsum sacrificaturus propriîs exui vestibûs, & paramentîs solemnibûs, Episcopum animarum nostrarum decentibûs indui voluit. Quænam illa? non usus est *Alba*, sed veste rubra, cute corporis, roseo tincta sanguine, mille vulneribus, tanquam gemmîs intexta. Verticem sacrosanctum coronabat *infula*, non honoris, sed spinarum mille. *Manipulus* erant compedes, & manicæ ferreæ. Collum circumdabat *Stola* catenæ ponderosissimæ, &

funis

funis furibus ſuſpendendis deſtinatus. *Humerale* erat Crux ponderoſiſſima, & probroſiſſima. *Pedi Paſtoralis* locô ferebat denſatos baculorum ictus. *Pluviale* fuerat ſanguis, & aqua globatim in terram defluens. Sic ſacrificium iſtud inſtituit, & obtulit ſummus noſter Sacerdos.

O Sacerdos! ô victima! ô JESU! in his ùt paramentis te intueor, amore langueo!

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XI.

Chriſtus Crucifigitur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

SUmmus Sacerdos JESUS, velut ad aram, ità ad Crucem reſupinus inclinatur, & brachia, quantum potuit, expandit.

Mox aderant miniſtri, quorum unus alligatâ fortiter ad Crucem manu dexterâ, genibûs barbarîs Divinum premebat pectus: alter validiſſimos intentat ictus, immitî clavô carnem, & oſſa perfracturus. Concutiebatur horrido tremore manus, intumeſebant venæ, & atro brachium colore ſuffuſum eſt. Alij fune validiſſimo manui ſiniſtræ injecto, tantâ vî trahebant ad paratum clavi foramen, ut ingentî hiaret ſpaſmô vulnus manûs dexteræ, quæ quidem inſanda crudelitas divellebat brachia, rumpebat arterias, disjungebat membra, & horrida coſtarum diductione diſcruciabat pectus, nervóſque, ac venas dilaniabat.

Et hi quidem, qui hæc faciebant, erant hujus cruenti ſacrificij miniſtri. An meliorem te reputas ſacrificij incruenti miniſtrum.

O JESU! Miniſter quidem tuus ſum, licèt indigniſſimus: crudele tamen Judæorum miniſterium deteſtor. Stylum verto, malleum arripio, & eodem non tuam Diviniſſimam carnem, ſed pectus meum percutio. Tu illud compaſſivo affectu penitus contere, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XII.

JESUS in Cruce moritur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CUm extremis conflictans anguſtijs amantiſſimus Salvator, tandem inclinat venerandum caput, & beatiſſimam emittit animam. Judæi interea blaſphema voce clamitant: *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat de Cruce.* (e)

Audis hanc vocem, quisquis crucem pateris? ſi rex paſſionum tuarum es, deſcende de cruce: Deus haud erit contrarius. Imò non deſcende; ſed perſevera in cruce, ut Deus, Angeli, & homines dicere poſſint de te, quòd & de Chriſto in Cruce perſeverante: *Verè Filius Dei erat iſte.* (f) nimirum in humilitate, patientia, fortitudine, perſeverantia, longanimitate. An hactenus oſtendiſti te regem, aut filium Dei?

O Deus meus! ego non tantùm de cruce deſcendi,

ſcendi, ſed nec aſcendi : nec rex paſſionum mearum fui, nec filium Dei me exhibui. Poſthac autem & crucem exactiſſimæ obſervantiæ, ac patientiæ aſcendam, & non deſcendam amplius, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(e) *Matth.* 27. (f) *Ibidem.*

Statio XIII.

Depoſitio Chriſti de Cruce.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

EXpalluit Salvator, & mortuus ad ſinum Matris deportatus eſt.

Tacet modò in ſe : in alio tamen clamat, & vocat me : (g) *Accede ad me, & da mihi oſculum fili mi.* Alibi : (h) *Redite prævaricatores ad cor.* Accede ergo Religioſa anima ! & extremum da oſculum Patri amantiſſimo. Redito ad cor, non ad JESU tantùm, ſed & tuum cor, ut, ſi illud fortè longè fuit ab amore JESU, deinceps non amplius recedat ; ſed ùt columba in foraminibus petræ, in caverna maceriæ inceſſabili gemitu defunctum ploret ſponſum. Quod ut efficaciùs obtineas, ad Mariam converſus exclama :

O Mater ſanctæ ſpei ! *Aperito mihi portas juſtitiæ* (ſeu potiùs miſericordiæ) *ingreſſus in eas confitebor Domino : Hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam.* In hac porta : exonerabo me ab omni

ini-

iniquitate mea, ut perveniam uſque ad tabernaculum Divini amoris, ibíque conflagrem, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(g) *Geneſ.* 27. (h) *Iſa.* 46.

Statio XIV.

Sepulchrum Chriſti.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

DE ſinu Matris ad cor terræ deportatur Salvatoris cadaver, quocum cor Matris & commoriebatur, & conſepeliebatur.

Priſcîs temporibûs in Ægypto florebat *Congregatio commorientium*, in qua uno amantium moriente, & altrum mori neceſsè erat, cui cùm Antonius, & Cleopatra nomen dediſſent, illo vivis ſublato, hæc applicatìs corpori quibûsdam viperîs ſe ipſam enecavit. O Religioſe! ſi ſapis, Congregationi commorientium, quam erexêre JESUS, & MARIA, nomen dato: & ut illis commoriaris, applica cordi tuo flagra, cataſtas, coronam ſpineam, ac clavos, ceu totidem viperas per frequentem compaſſionem: flagella quoque, & crucem mortificationis corpori tuo adhibe, & ſic JESU, & MARIÆ amoribus tuis, commorere.

O JESU! Congregationis commorientium Inſtitutor, & Præſes! per merita Matris tibi fideliter commorientis non tantùm, ſed & conſepul-

tæ corde tenùs, te deprecor: ſuſcipe me in ſanctam illam congregationem, ut in ea diſcam te amare, tibi compati, & mihi mori. O Amor ſagittarie! ſagittâ tuâ cor meum feri; ut langueam, moriar, & commoriar JESU, & MARIÆ, & in corde JESU ſepeliar, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XV.

Ad ſanctam Crucem.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CRux ſancta eſt ſtatera Divinæ Juſtitiæ, in qua noſtrorum peccatorum gravitas, & Redemptionis pretium, quod Redemptor noſter ſolvere venerat, ponderabantur. Huic ergo ſtateræ impoſuit lacrymas, quas in ſua fudit infantia; ſed Decreto Divinæ juſtitiæ nondum ſatis fecêre: impoſuit & ſanguinem, in circumciſione effuſum: & necdum ſufficiebat. Impoſuit ſuam caſtitatem, paupertatem, obedientiámque parentibus præſtitam, labores item, ſudores, defatigationes, & laſſitudines; ſed necdum ſatis. Impoſuit etiam torrentem ſanguinis in horro ſudati; Et nondum acceptavit Pater. Impoſuit funes, cataſtas, & vincula, pugnos, & alapas. Necdum ſatis. Impoſuit ſputa, & opprobria, ſpinas, & coronam, arundinem, & purpuram, flagra, & columnam, ipſámque tremendam mortis ſententiam. Aſt licèt ſingula fuerint de ſe ſufficientiſſima pro mille mun-

mundis redimendis, rigori tamen Divini Patris, supereffluentissimam satisfactionem exigentis nondum ultimatè fecêre satis. Quid jam imponat amplius? Imposuit se ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Hîc tandem, hîc Divinus Pater dolore cordis tactus intrinsecùs, confregit potentias arcum, scutum, gladium, & bellum, universa delicta nostra, & chyrographum peccati delevit. O peccatum! O pretium! O statera!

Mi JESU! si mea opera, & satisfactiones pro innumeris peccatis meis, appenderes in statera, haud dubiè invenirer minùs habens. Ah! quia apud te copiosa redemptio; de tuo supple, quòd mihi deest, nè infinitum redemptionis pretium frustra pro me sit expensum, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

PRAXIS XII.

Statio I.

Condemnatio Christi ad mortem.

℣. Adoramus te sanctissime Domine JESU Christe, & benedicimus tibi!

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

AUdi anima Religiosa, & obstupesce! JESUS Christus, Filius Dei vivi, stat coram tribunali

nali vinctîs manibûs, catastas inter, & strictos acinaces, reus mortis proclamatur, & sequenti forma à Pilato condemnatur. (*a*) *JESUM Nazarenum, seductorem populi, Imperatoris contemptorem, & falsum Messiam (uti eorum criminum à suis superioribus convictus est) educite ad locum supplicij, & velut Pseudo-Regem duos inter latrones medium crucifigite.*

Heu! quis hæc crederet de Deo tremendo, & omnipotente, nisi sancta fides, nixa authoritate & veritate Dei revelantis, & per Ecclesiam loquentis, captivaret intellectum, in obsequium Christi?

Credo firmissimè, & indubitata fide teneo, JESUM Christum fuisse passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, & sepultum. Et ideo credo hoc, & omnia alia fidei sanctæ dogmata, quia tu Deus illa revelâsti, qui ut omniscius nec falli, nec ùt æterna veritas fallere potes.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(*a*) *Adrichomius in descript. Jerus. n. 115.*

Statio II.

Christus Crucem levat in humeros.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

POst immanissimam flagellationem, & dolorosissimam coronationem, ingentiáque alia tormenta, impossibile fuit, tantum in eo remansisse

virium

virium, ut ponderosissimum Crucis truncum in suos potuerit levare humeros. Necesse ergo fuit ut per miraculum perditas vires revocaret.

Audis hæc Religiose! & adhuc in tuis infirmitatibus, adversitatibus, & tentationibus trepidas? Confide! fidelis Deus est, non permittit te tentari supra id, quod potes. Si enim miraculosè auxit suas vires, ut pro te plùs pati posset: fierine potest, ut te derelinquat absque viribus, ut pro ipso tu aliquid pati possis? Postula à Deo, & dabit tibi petitiones cordis tui, vires, robur, animum, consolationem, gratiam, & gloriam; quia illa promisit, & fidelis, ac omnipotens est in suis promissis adimplendis.

O Deus! qui largus es in promittendo, & infinitè fidelis in exequendo: firmissimè spero in auxilio brachij tui, quòd ineffabile sis mihi daturus auxilium ad sufferenda, & vincenda adversa omnia. Ah! da etiam, ut illi auxilio fideliter cooperer, & collaborem, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio III.

Primus Christi sub Cruce lapsus.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

EO usque diro Crucis pondere premebatur Christus, ut in terram collabi coactus fuerit. O lapsus amore plenus! & nunquid admirandus foret actus amoris, si reo flagitioso, homicidæ,

dæ, graſſatori, latronive, ab Imperatore ad mortem condemnato, ſummus Pontifex vitæ gratiam obtenturus, in publica platea, coram Imperatore procideret, & de genu ſupplex pro illo malefactore intercederet? quis non exclamaret: *Ecce quomodo amabat eum?* (*b*) Hoc, & plus fecit JESUS Chriſtus amator meus, qui, ut mihi homuncioni flagitioſiſſimo, deteriori quovis latrone æternæ mortis millies reo, & à Divina juſtitia morti adjudicato, ab Imperatore Divino vitæ non tantùm veniam, ſed & magnam in Hierarchia Eccleſiaſtica dignitatem conciliaret, miſerando in habitu, Crucem ſibi bajulans, in publica urbis Jeroſolymitanæ platea ſuîs genibûs provolutus, anhelans, & gemens, & cum multis lacrymis orabat dicens, ſi non ore, ſaltem corde: *Pater dimitte illi.* (*c*) O charitas! ô amor! ô ignis! ô incendium! & ego frigeo!

Verè bonitatem feciſti cum ſervo tuo Domine, ſecundùm verbum tuum! Ah! bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam, & amorem, & ingentem amorem doce me, ut, ſicut tu amâſti me, ſic ego quoque amem te, & vigil, & per ſomnia. Hoc dandô dabis omnia, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*b*) *Matth. 11. v. 36.* (*c*) *Luc. 23. v. 34.*

Statio IV.

Christus occurrit Matri.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

OCcurrit JESUS vinctus, & horrendum in modum afflictus, circumdatus vinculîs, & obsessus taurîs pinguibûs, (*d*) carnificibûs nimirum, & militibûs barbarîs, Mariæ Matri suæ, quæ lacrymabili hoc commota aspectu quasi semianimis concidit, & corde tenus contremuit; donec recollectîs viribûs amoris impetu acta in ejus brachia involavit.

Ah! quid dixerit, quid senserit pia Mater? fors exclamavit illîs verbîs, quibûs postmodum in simili aspectu usa est S. Maria Mag. de Pazzis. (*e*) *O amor! ô amor! quàm parùm cognosceris, quàm parùm amaris! si non invenis, ubi requiescas, veni ô amor! & totum pectori meo te ingere. O animæ ab amore creatæ! cur amorem non adamatis? O amor, tu me dolore conficis! ô dolor! tu me amore consumis!* Fili mi JESU! JESU Fili mi! quis mihi tribuat, ut moriar pro te! Vale mi JESU! & propitius esto peccatoribus. Hæc inter amorosa lamenta Filius pugnîs, & fustibûs propellitur, & Mater à Filio separatur.

Sancta Mater istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo validè: tui Nati vulnerati, tam dignati pro me pati, pœnas mecum, & amorem divide, Amen. Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(*d*) *Psalm.* 21. (*e*) *in vita.* 12.

Statio V.

Simon angariatur ad ferendam Crucem.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

TAntum omnes adverſus JESUM concepêre odium, ut viliſſimum etiam lictoris mancipium poſt eum Crucem ferre recuſaret, ut etiam cogi hominem advenam neceſsè fuerit.

Majorem Crucis, & Crucifixi amorem demonſtravit S. Porphyrius, (*f*) qui, cùm morbô præpeditus non poſſet pedibûs incedere, genibûs perreptans ſingulîs diebûs ſacras Stationes Jeroſolymîs devotè viſitavit. Quondam cùm ad pedem montis nimia laſſitudine defeciſſet, elevatîs in altum oculîs, Chriſtum in Crucis imagine pendentem, ſic eſt aſſatus: *Domine! memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* (*g*) Poſt hæc verba præcepit Salvator Latroni à dextrîs pendenti, ut deſcendat de cruce, & Porphyrio manum auxiliatricem porrigat. Deſcendit ille, porrexit manum, & Porphyrium perduxit ad JESUM. Interea JESUS ipſe de Cruce deſcendit, & ſervo ſuo obvius præcepit, ut Crucem ſuam (JESU nimirum) ſuis impoſitam humeris ad montis verticem ferret. Extendit Porphyrius manus avidas, Crucem arripit, humeriſque ſuis imponit, cujus contactu de repentè ſanatus eſt. Religioſa anima! quæ infirmaris, & variîs caſibûs torqueris, ſacram crucis viam diligenter ambula. In hac occurret tibi JESUS, auxiliabitur tibi, manum, &

Crucem porriget. Noli esse Simon : ferventer illam arripe, & sanaberis, & salvaberis.

O Domine ! memento mei ! da Crucem, da vires, da animum, da amorem. Esto mihi JESUS, & salva me.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

(f) *P.Fritsch.f.* 167. (g) *Luc.* 23. *v.* 41.

Statio VI.

Officiosa Veronicæ compassio.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

VEronica, ùt vidit faciem Domini indignissimè fœdatam, velum obtulit : quod obsequium longè gratissimum impressa velo facie remuneratus est Christus.

Credibile est, majus, & acceptius obsequium pro tunc à Veronica non potuisse exhiberi Salvatori. O anima Religiosa ! nunquid & tu parata es, tale Redemptori tuo exhibere obsequium, quod noveris ei fore acceptissimum ? velum exhibere amplius non potes. Aliam proin methodum te docet Christus ipse, cuidam Religioso ità loquens: (h) *Gratius mihi nihil feceris, quàm si me adjuves in Cruce portanda per frequentiorem compassionem, & memoriam Passionis meæ. In ore tuo crucem meam porta per cordialem regratiationem pro omni eo, quod pro te sustinui. In humeris quoque tuis Crucem meam senties, per voluntariam corporis tui castigationem,*

An

An ſimile hactenus obſequium præſtitiſti Creatori tuo ? an non præſtabis impoſterum ?

O Domine! qui leve ſolum obſequium pro immenſis beneficijs exigis ; hoc tibi libentiſſimè impendam- Memoriâ memor ero tui, frequenter ſacram viæ Crucis peregrinationem obeundô, & Crucis mortificationem pro tui nominis honore jugiter in corpore meo portandô, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(b) Sandæus in ſpeculo ſalvationis hum.

Statio VII.

Altera vice Chriſtus ſub Cruce cadit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

REdeunte virium defectu, & non ceſſante Judæorum crudelitate, iteratò JESUS in terram præcipitatus eſt.

Cadit JESUS denuo, & meîs depreſſus ſordibûs, & peccatîs, cadit. Et ego adhuc ſto, ſanus ſum, vivo, & quieſco, qui debebam in ima inferni demergi. O infinita Dei miſeratio! quæ me poſt tot, ac tanta peccata, poſt frequentes lapſus, ſervavit illæſum, & hodie ſibi voluit compatientem. Si tua bonitas me toleravit peccantem, ſi ſuſtinuit rebellem, & prolongantem iniquitates ſuas : an non miſereatur pœnitentis, contriti, & profundiſſimè ingemiſcentis ?

Spero in miſericordia tua infinita, ô Deus,

 auxilia-

auxiliator unice corporis, & animæ meæ! & ſpero in pretioſo ſanguine JESU Chriſti Filij tui, cum tanta charitate pro me fùſo: quòd ſicut me hactenus peccatis meis immori noluiſti, æternis incendijs adjudicandum; ita deincepa eadem miſeratione à peccato præſervatum in æternæ ſalvationis partem ſis admiſſurus. Fiat, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere meí.

Statio VIII.

Mulieres deflent Chriſti Paſſionem.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

Mulieres aliquæ, videntes, quæ, & quanta Chriſtus patiatur, in cordialem luctum, & compaſſivas lacrymas effuſæ ſunt; quas tamen Chriſtus à fletu deſiſtere jubet.

Mirum ſanè mandatum! potéſtne fieri, ut in adverſis caſibus, & grandibus miſerijs, humanum cor non contriſtetur, & lugeat? poteſt profectò fieri, ſi Pauli conſilium ſequamur monentis; *(i) Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem.* Si ægritudo vos moleſtat: *recogitate eum, cujus livore ſanati ſumus;* & gaudebitis de ſanitate, aut etiam infirmitate veſtra. Si perſecutionem, & moleſtiam ab alijs ſuſtinetis: *recogitate eum*, quem ſui non tantùm non receperunt; ſed & negârunt, ac dereliquerunt. Si in tentationes varias incideritis, ſi famâ, & honore injuſtè patimini; *recogitate eum*, qui fuit tentatus

per

per omnia: per infamiam, & bonam famam, per contumelias, & opprobria : qui fuit mancipium opinionum, malè de ſe ſentientium. Hunc in omnibus flebilibus caſibus cogitate: & triſtitia veſtra convertetur in gaudium; juvat enim, Filium Dei ſocium habuiſſe dolorum.

O JESU, dolorum meorum ſocie, & levamen! tu dignatus es pro me infirmari, infamari, contemni, maledici, cruciari, crucifigi, & mori. Et ego delicatulus adeò ſim, ut tuus in paſſione ſocius eſſe nolim. Abſit! hæc mea conſolatio, te ſocium habere dolorum! te igitur in adverſis omnibus recogitabo, tu me conſolare, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(i) Hebr. 12.

Statio IX.

Tertiò Chriſtus ſub Cruce corruit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

TErtia vice cadit Chriſtus ſub Cruce, Judæi rident, carnifices verberant, milites propellunt. Hi omnes putarunt, ejúsmodi lapſus eſſe aut caſu factos, aut ſaltem ſe non fuiſſe eorum cauſam.

Sic nimirum judicant homines. Et utinam non etiam Religioſi! quos inter & tu es. Infirmaris, certa adverſitate invaderis, ab honoratiore officio dejiceris, injuriaris, infamaris, denigraris, ir-

rideris, contemneris: à ſuperiore, ab æqualibus, ab inferioribus duriùs tractaris: & quomodò non inquietaris? de medijs evadendi ſolicitè cogitas, nunquam autem, quòd hæc, & ſimilia, non caſu, & fortuitò, ſed ex propoſito, à Deo immiſſa ſint, non ad inſipientiam tibi, ſed ad eruditionem, & præmium. Accuſata eſt, & adulterij damnata Suſanna. *(k)* Anne malum ei hoc erat? minimè. Liberata enim eſt per Danielem. Daniel ipſe in lacum Leonum miſſus eſt: *(l)* & Habacuc, ab angelo arreptus, pulmentum eidem attulit; & eductus eſt Daniel ſalvus. Job omnes excogitabiles miſerias pertulit; & magnificatus eſt vehementer. *(m)* Lazarus infirmatus eſt, & omnino mortuus: & ſanitatem, ac vitam recuperavit à Domino. *(n)* Suſcipe ergo gaudenter adverſa quæque; quia ad tuam ſalutem ſunt, & ad gloriam ſempiternam. Exclama proin:

Deus, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur: diſpone mecum, ſicut ſcis, & vis. Scio enim, quòd mali nihil velle poſſis. Tantùm largire gratiam, ut, quæ à te mihi immittuntur bona, per meam malitiam non fiant mala, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(k) Dan. 13. (l) Dan. 14. (m) Job. 2. & ult. (n) Joan. 11.

Statio

Statio X.

Christo diripiuntur vestes.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

PAssus sibi est Salvator vestes abripi, tum, ut mors sua esset dolorosior : tum ut tacitè innueret, tanto se charitatis igne erga me ardere, ut vestimenta ferre non posset. O verè *supereminentem scientiæ charitatem!* (o)

O si tantus amor interiora mea adureret, ut habitum tepidæ, & frigidæ conversationis abjicerem! Sed heu (exclamat S. Bonaventura) *heu! frigida super nivem sunt corda nostra, frigida verba, & universa frigida sunt opera, quasi sint adamantina. Dicitur enim, quòd adamas nullo igne callefieri potest. Sunt similiter multi, qui adamante duriores, & frigidiores, igne amoris Divini calefieri non possunt.* Utinam! inter hos ego non essem primus, qui insensitivitate, luriditate, tepiditate, frigiditate, & irreligiositate circumdatus sum, velut vestimentô.

Veni Amor satelles! diripe tibi vestimenta mea, ut super vestem tepidæ meæ conversationis mittant sortem mundus, caro, & diabolus : Ego enim cum nudo amatore meo, ab omni affectu, & negligentia mundana nudus, mori desidero. O Amor Divine veni!

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(o) *ad Eph. 3.*

Statio XI.

Chriſtus in Cruce extenditur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

DEnuo ſpectaculum amoris proponitur, dum Chriſtus JESUS nullum, etiam ineffabile tormentum, tam grave reputat, quod pro lucrando amore meo non ſit ſufferendum.

Et ego necdum vel amoris ſcintillulam ſentio; fuit non nemo erga amaſiam ſuam, turpiter amatam, tanto incenſus amore, ut eum opere ipſo oſtenſurus, contempto omni doloris ſenſu, præacutô cultellô nomen ſuæ amaſiæ pectori ſuo inciderit, vulnúsque quotidianâ ſalis perfrictione renovaverit. Heu laſcive amor! quid non mortalia cogis pectora? Et tu Divine amor! dum te impellente JESUS Chriſtus, ſuum ardentiſſimum erga me flagitioſiſſimum, oſtenſurus amorem, nomen meum ſuis manibus, pedibus, pectori, quin imò toti corpori inſculpi, & inſcribi fecit: Tu, inquam, Divine Amor! tantum non valeas, ut JESUS, Amor meus, indelebiliter cordi meo inhæreat?

Maledico te, execror, & abominor te flagitioſum, ferinum, barbarum, & diabolicum cor meum, ſi non amas Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, extremè te amantem: ſi tantum amorem non redamas: ſi cum amore patiente, pati recuſas.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio

Statio XII.

JESUS in Cruce moritur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

JESUS Chriſtus Rex æternæ gloriæ, quemadmodum in nativitate ſua jacuit inter duo animalia, ita in morte ſua moritur medius duos inter latrones.

Hoc mortis genus non conceditur Religioſo; bene verò aliud; ſi nimirum aut ædificatoria converſatione, aut ſedulo pro ſalute animarum labore inter peccatores moriatur. JESUS elegit mori duos inter latrones. Si JESUM ſequi non potes, ſequere Joannem Berckmannum, Religioſum Societatis JESU, qui ad extrema deductus, imaginem Crucifixi, Roſarium, & ſacram Regulam ſibi porrigi voluit, exclamans: *Cum his tribus libenter moriar.* Religioſe mi! potésne, ſi moriendum mox tibi foret, absque tremore Crucifixum aſpicere, tanquam concrucifixus? aut Roſarium arripere, tanquam devotus MARIÆ cliens? aut ſacram Regulam tuam ad tribunal tremendi Judicis deferre, ùt inviolatus, & fervidus ejus obſervator?

O JESU! *cum his tribus libenter moriar;* ſed etiam deinceps ſic vivam, ut tria hæc cœlum mihi referent, nimirum: amor Crucifixi, cultus ardens Matris MARIÆ: & exactiſſima ſacræ Regulæ meæ obſervantia. Domine! cuſtodi hanc voluntatem.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio.

Statio XIII.

Depositio Christi de Cruce.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

DUm MARIA corpus Filij sui dilectissimi suo sinu, & brachiîs superbenedictîs excepit, simúlque plagas, livores, & vulnera conspexit propiùs, mortuali dolore correpta est. (*p*)

Perpende vel obiter hunc dolorem. Tantus erat, ut sanguineas ei expresserit lacrymas. Tantus, ut præ angustiarum acerbitate sanguinem sudârit, eóque copiosè terram irrigârit. Tantus, ut cor ipsius locô motum vitæ rupisset filum, nisi corporalî gloriosi sui Filij præsentiâ recreata, & potentiâ fuisset sanata, & ad sibi ulteriùs compatiendum roborata, ac animata. Hac compassione (ùt ipsamet revelavit (*q*)) ingentes charismatum Divinorum, & gratiarum cumulos promeruit, & impetravit iis, qui viæ Crucis exercitium, & compassivum erga Salvatorem affectum affectarent, ac elicerent. Stude, ô Religiose! compati Nato, & Matri: & erit merces tua magna nimis.

O MARIA! tuos mecum partire dolores, ut in recordatione tuarum, & dilectissimi Filij tui Passionum, vitam cum compassivo suspirio finiam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(*p*) *Maria de Agreda in civit. Dei. p. 3. l. 8. c. 10.*
(*q*) *Ibidem.*

Statio XIV.

Sepulchrum Christi.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

DEvotissimas inter Matris, ac amantùm lacrymas, deportatum est corpus Domini ad sepulchrum.

Haud dubiè Divinitas corpori unita largissimam benedictionem pro ultimo vale effuderit super illos, qui postremum obsequium corpori suo impenderunt. Non minorem benedictionis abundantiam ij exspectare possunt, qui corpus Dominicum devotissimè tractant, & suscipiunt, & omnem eidem in corpore, & animâ reverentiam exhibent. Anne tu hactenus ejusmodi benedictionem es promeritus?

O JEsu! licèt tuæ sim benedictionis indignus, sum tamen summè indigus. Hinc demississimè te deprecor: (r) *Benedic etiam mihi Pater mi! nunquid & mihi reservâsti benedictionem? Num unam tantùm benedictionem habes Pater? mihi quoque, obsecro, ut benedicas.* (s) *Benedicat igitur nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ,* (t) *Amen.*

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(r) *Gen. 27. v. 34. 36.* (s) *Ibid. v. 38.* (t) *Psalm. 66. v. 8.*

Statio XV.

B. Helena sanctæ Crucis inventrix.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

ASpice sanctam Crucem, de qua S. Augustinus ita loquitur; *Lignum, in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis.* Nostine, ô Religiose! quænam fuerit à Divino Magistro, ex hac cathedra, doctrina proposita? profectô non alia, quàm: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* (u) Didicistine hanc lectionem? Non credam, nisi non extollaris in prosperis, & non deprimaris in adversis. Si injuriæ ultionem quæris, si hominibus displicere metuis, verbô: si requiem non invenis in anima tua, sed turbaris erga plurima, nondum perfectè mitis es, & humilis corde: illa enim requies hujus doctrinæ practicatæ effectus est.

O JESU! levia quæque, quæ contra voluntatem meam eveniunt, requiem animæ meæ dissipant; quia nimirum non sum mitis, & humilis corde. Tu ergo Divine Magister! eandem doctrinam altiùs cordi meo inscribe stylô gratiæ tuæ, ut pes meus stet in directo, & non moveantur vestigia mea, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(u) *Matth. 11. v. 29.*

PRAXIS XIII.

Quæ ſervire poterit in ordine ad Confeſſionem Sacramentalem.

Statio I.

Chriſtus adjudicatur morti.

℣. Adoramus te ſanctiſſime Domine JESU Chriſte, & benedicimus tibi!

℟. Quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

A Pontio Pilato lata eſt tremenda Crucis, ac mortis ſententia adverſùs JESUM, ſanctum, immaculatum, innocentem, & ſegregatum à peccatoribus.

Ego, ego ſum ille homo flagitioſus, rebellis Deo, ac læſæ Majeſtatis Divinæ reus. Ego ſum ſcelerum omnium ſentina, ingratus, perfidus, ingentium, ac enormium dilectorum convictus. Ego ſum ille: & nemo me accuſat, nemo me condemnat. O obſtupſcendam DEI miſericordiam! Vindictam poſtulavit Divina Juſtitia. Accuſatus ſum: convictus ſum; ſed non confeſſus. Decretam interim mortis ſententiam in ſe transfert Filius Dei. Qua conditione? ut ego peccata mea unico homini, claves miſericordiæ habenti-

benti, in aures revelem : & ut hoc facto non moriar, ſed vivam, & narrem opera Domini.

O JESU! O Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis! qui non vis mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat. Suaviſſimam illam conditionem humili, & contrito corde accepto. Dixi : confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino : & tu remittes iniquitates ſervi tui, & dealbabis eas in innocente ſanguine tuo, & dabis mihi benedictionem ſalvificam pro maledictione æterna. Fiat!

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio II.

Chriſtus Crucem ſuſcipit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CRucem mihi paratam ad ſuos humeros transferri voluit benigniſſimus Salvator; quam & animô Paternô, & fortî ſtrinxit, ſuſcepit, ac portavit.

Jubebantur in lege Judæi, in die mundationis ab omnibus peccatis, affligere animas ſuas religione perpetua. (*a*) In lege gratiæ dies illa mundationis eſt dies confeſſionis. In hac, nè nimiùm affligi debeat anima tua gravî pœnitentiâ, pro qualitate delictorum, à Confeſſario imponendâ: Chriſtus JESUS non tantùm animam ſuam, ſed & humeros, ac totum corpus, graviſſimo Cru-

cis

cis pondere affligi voluit. O ſacrum, ô dulce, ô leve Confeſſionis onus! in qua miſericors Deus luit, quod ego peccavi: in qua ille ſolvit debitum, quod ego contraxi: ac ſuſtinet ultroneè pœnas, quas ego commerui.

O JESU! deleatur anima mea de libro viventium, & non habeat partem tecum! ſi pro graviſſimo peccatorum meorum reatu levem pœnitentiam non ſuſcipio. Tu mihi pro pœnitentia injungis, ut peccata dolorosè, & ſincerè confitear, levémque imponendam ſatisfactionem ſuſcipiam; cur id non faciam? Ah! libenter facio. Tu tantùm ô Domine! miſerere mei, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*a*) *Levit. 16. v. 31.*

Statio III.

Chriſtus cadit ſub Cruce.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

UNigenitus Dei Filius, quem Deus Pater infinito diligebat amore: JESUS Chriſtus, *Dominus Deus exercituum, fortis Iſraël* (*b*) Pretioſiſſima illa Perſona, in cujus comparatione infiniti Angelorum, & Mundorum milliones, arena ſunt exigua, & tanquam nihil æſtimantur, adeò, ut ſatius fuiſſet, Angelos, homines, animata, & inanimata, ac creaturas omnes perire, ac in nihilum ſuum ruere, quàm Chriſtum pati. Ille, in-

quam, talis, ac tantus, viribûs destituitur, immani Crucis pondere debilitatur, lassatur, infirmatur, & eheu! in terram horrendo lapsu præcipitatur, fitque objectum risûs dæmonum, Judæorum, ac inimicorum universorum.

O prævaricatio! ô peccatum! ô lues! ô bestia atrocissima! quæ adeò debacharis in Filium Dei. Et ego, heu me! ego commisi peccatum! Ah ego peccavi, non semel tantùm, sed sæpius. Ah utinam non sæpissimè! utinam non quotidie! utinam non semper! Et toties Filium Dei odivi: toties *fortem Israël* debilitavi: toties Personam Christi, infinities pretiosissimam, in terram præcipitavi, conculcavi, exinanivi.

Eheu! me turpissimum, & abominandum peccatorem! ô Pater æterne! hæc ego feci, & tacuit Filius tuus: imò coram te prostratus in terram veniam mihi exorat. Ah! confringitur cor meum, & in gemitus, ac lamenta dissilit. Cum Filio igitur tuo coram Divina Majestate tua, & coram Confessario procido, & in rugitu cordis mei peccata mea confiteor, detestor, abominor, execror. Mori, ô Deus! mori malo, quàm deinceps te offendere.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(b) *Isaiæ 1. v. 24.*

Statio

Statio IV.

Mater valedicit Filio.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CUm Mater doloroſiſſima valediceret Filio, latronis inſtar ad mortem educto, tunc guſtavit, & vidit Judæorum barbariem, carnificum crudelitatem, militum ferocitatem, ac Nati graviſſima vulnera.

Sed tunc Marianus pene emarcuit Spiritus, cùm hos inter lictores, Judæos, milites, & carnifices, me maximè furentem vidit. Ego diabolico agitatus furore totus frendens, prægrandi armatus fuſte, horrendum ictum in Sacro-ſanctum JESU caput intentavi ſæpius, dum legi Divinæ, & Religioſæ diſciplinæ rebelle ſubtraxi caput. Ego faciem Divinam lutô, ſputîs, fœcibûs, & turpiſſimîs ſordibûs defœdavi, aut per lubricitatis maculas, aut per luridiſſimas Pſalmodias, & precationes. Ego eundem in terram colliſi, & furibundis pedibûs canis inſtar conculcavi, per delicta mea graviora, aut in Religione, aut in ſæculo commiſſa. Hæc vidit Mater Dei, contremuit, & præ dolore ferme contabuit.

Hæc ego feci! & quid jam reſtat, niſi ut humillima peccatorum confeſſione veniam à JESU exorem? Per te, ô MARIA! Matrem dolorum, & ſanctæ ſpei, Filio tuo me ſpero reconciliandum. Ah impetra mihi fructus dignos pœnitentiæ. Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio V.

Simon invitus fit Crucis socius.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

CUm JESUS ex virium defectu Crucem solus portare non valeret ampliùs, coactus est Simon ad eam ferendam: licèt autem ab initio vehementer restiterit, postea tamen eam gaudenter portavit.

Forsitan si non portâsset Crucem Simon, actum fuisset de æterna ejus salute. Cogendus ergo fuit ad Crucem, ut eam mutato affectu libens ferret. O felix coactio! ô amabilis violentia! ita nimirum, cujus vult, miseretur Deus. Heu! quantùm ego, cùm essem in peccatis, Simon fui, Crucem Divinorum præceptorum ferre recusans. Petrum Apostolum, & Simonem hunc, coëgit flebilis Dei patientis aspectus ad resipiscendum, & ad pœnitentiam. Ah! utinam ex simili aspectu cor meum colliquesceret intra me, & in seriæ pœnitentiæ dissolveretur lacrymas! Potuisset me Deus post vel affectata flagitia inferno addicere, & à conspectu suo æternum abjicere; sed post ingentia scelera non abjecit, sed respexit me, & vulneravit cor meum in uno oculorum suorum. Veniam ultroneè offert, oblivisci paratus est omnium prævaricationum mearum, trahit ad pœnitentiam, promittit coronam, offert gratiam, invitat ad gloriam. Et quem non pœniteat, tam amabili Domino fuisse rebellem?

O JESU! perduellionis meæ pœnas luiturus ipſemet ego Judicem accedo, & coram ſacro tribunali me ſiſto reum. Actoris ſimul, & Rei perſonam ſuſtinebo. Sacramentaliter, & rigoroſè me accuſabo? miſericordiam volens, & non judicium: Tu enim. *Qui Mariam abſolviſti, & latronem exaudiſti, mihi quoque ſpem dediſti.*

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio VI.

Veronica porrigit Chriſto ſudarium.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

VEronicæ, pro abſtergendis ſordibus ſudarium exhibenti, unà cum ſudario imaginem vultûs ſui reſtituit Salvator.

Inſpice hoc ſudarium, ſeu potiùs ſpeculum, Religioſe! &, ſi neſcis, quære: *Cujus eſt hæc imago?* (c) & dicet tibi Veronica: *Cæſaris.* O! *quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt, color optimus?* (d) Utinam, ô Religioſe! in hoc ſudario tuam ipſius inſpiceres, & agnoſceres faciem! ſplendida hæc erat in Novitiatu, in primis Religionis, ac Sacerdotij annis, modeſta, innocens, & fervida. Sed eheu! *quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* à fervido factus es tepidus, à calido frigidus, à modeſto effuſus, à compoſito diſſolutus, à mortificato immortificatus, à Religioſo irreligioſus, & præter annos, in ſancta Religione non ſanctè transactos,

Religiositatis numeras nihil, ut vel ab unius mensis Novitio perfectione supereris: *Etenim cùm deberes esse Magister propter tempus: rursum indiges, ut tu docearis, quæ sint elementa exordij sermonum Dei: & factus es, cui lacte opus sit, non solidô cibô* Heb. 5. Hæc si ita sint, *vade, & lavare septies in Jordane* pœnitentiæ, ut à tepidissimæ conversationis lepra emunderis.

Ampliùs Domine! *ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me! quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum* (tepiditatis, & irreligiositatis) *contra me est semper. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci* (e) Sed deinceps non faciam ampliùs. O JESU! *redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me, Amen.*

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(c) *Matth.* 22. (d) *Thren.* 4. (e) *Psal.* 50.

Statio VII.

Christus secundò sub Cruce cadit.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

CEcidit Verbum Dei, immani Crucis depressum pondere secus viam, & conculcatum est ab hominibus.

Considera, Religiose! quòd Christus in hoc lapsu personam egerit pijssimi Patris, & tu filij prodigi. Tu portionem substantiæ, quæ te contin-

gebat

gebat, id eſt, infuſos virtutum habitus, baptiſmalem innocentiam, dona naturæ, & gratiæ, ſalutarem Sacramentorum effectum, pretium ſanguinis, & mortis JESU Chriſti, jus ad æternam gloriam, tot bonum operandi occaſiones, ac talenta univerſa dilapidâſti, luxuriosè, luridè, intemperanter, tepidè, aut irreligiosè vivendô, & propterea ad tantam inopiam redactus es, ut ventrem replere coactus ſis de ſiliquis porcorum, & mundanarum, ac viliſſimarum voluptatum. Sed gratiâ Divinâ tibi irradiante dixiſti: *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater! peccavi in cælum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus.* (*f*) Cùm verò te à longè vidiſſet Pater tuus Divinus, miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit non tantùm ſuper collum, ſed ad pedes tuos, exclamans: *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manu ejus &c.* Stola illa prima eſt ſecunda poſt naufragium tabula, ſeu ſacratiſſimum pœnitentiæ ſacramentum, quo veſtitus ſum ſtola gratiæ ſanctificantis. Annulum porrexit in ſignum reconciliationis, & fœderis ſempiterni. O ſtupenda Dei miſeratio! ſed, heu me! ſtolam illam abjeci, pactum violavi, denuo amantiſſimum Patrem meum reliqui, & aufugi ad porcos. O me miſerum!

Ah mi JESU! *Verè jam non ſum dignus vocari filius tuus. Peccavi, ah peccavi in cælum, & coram te!* quò me jam vertam, neſcio. *Major quidem eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear:* infinities tamen major eſt pietas tua, quia *tu es, qui pec-*

catores recipis. (g) Tu ergo, qui peccatores recipis, *propitius esto mihi peccatori!* qui plasmâsti me miserere mei! opus manuum tuarum Domine, & pretium sanguinis tui, nè despicias.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

(f) *Luc. 15.* (g) *Ibid.*

Statio VIII.

Mulieres plangunt JESUM.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

PIæ hæ Mulieres, certa fide tenentes, JESUM ex invidia Judæorum traditum, innocentem esse, & sanctum, in lacrymabili hac processione cum amarissimè deflebant.

O Religiose! tu quoque innocentiam JESU perspectam habes, & credis insuper, quòd tuos reatus morte sua luat. Altius ergo hanc veritatem rumina cum S. Augustino, ut compunctionis lacrymas provoces. En! *Peccat iniquus, & punitur Justus: delinquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, & damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat servus, exsolvit Dominus: quod commisit homo, sustinet Deus.* (h) & insuper *non contentus fuit lacrymis oculorum; sed totius oorporis sanguineîs lacrymîs peccata nostra flere, & lavare voluit.* (i) Hæc ego video: & non vehementissimis, ac cordifragîs lacrymîs ingentia delicta mea deplorem, & incessabiliter lugeam?

O pec-

O peccatum ! ô maledictum peccatum ! quod ſanguineô JESU Chriſti lavacrô fuit expiandum. Quis mihi det, ut reliquias tuas amariſſimîs deleam lacrymis ? Tu, ô JESU ! tu ſolus hoc dare potes. Potentiſſimo igitur dolore cor meum conquaſſa, ut te offenſum intolerabiliter doleam, & præ doloris vehementia moriar, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

(h) S. Aug. in Manual. c. 7. (i) S. Bern. ſer. 3. de Nativ. Dom.

Statio IX.

Tertius Chriſti lapſus.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

GRaviſſimum virium defectum cùm paſſus eſſet JESUS, ſub immani Crucis pondere, in terram collapſus eſt, & ex violenta corporis colliſione, copioſo ſanguine dimanavit.

O anima peccatrix ! an non ad lugubre hoc ſpectaculum colliqueſcis ? Secundùm aliquorum Patrum teſtimonium tùnc primùm Adamus transgreſſionem ſuam & profundiùs ponderavit, & amariùs, ac cordaliùs deflevit, cum filium ſuum Abel, à Caino interfectum, recenti cruore perfuſum, malè vulneratum, & proprio ſanguini innatantem conſpexit. Tunc luxit ; tunc ejulavit, & à gemitu cordis ſui irrugivit. Et tu, ô anima !

videns amantiſſimum Patrem, Deum, ac Salvatorem tuum, Cruci alligatum, graviſſimè reſpirantem, diriſſimè vulneratum, immaniſſimè tormentatum, & roſeo ſanguine totum diffluentem, tu iniquam, profundiſſimè non ingemiſcas, eidemque illacrymeris, ac integros lacrymarum fontes non effundas, & peccata tua enormiſſima, crudeliſſima, innumera, non deteſteris, non defleas, non infinities abomineris? O prævaricatio! ô peccatum!! ô beſtia! ô fera peſſima! quæ devorâſti Patrem meum dilectiſſimum, & Filium Dei unigenitum JESUM Chriſtum.

O JESU! doleo, & cordintimè doleo. Ah! tu nôſti, quia verè, & profundiſſimè doleo, & dolebo inconſolabiliter: & mori malo, perire, ac ardere æternum, quàm denuo te offendere. O JESU, Filij David! miſerere mei, & præſerva me à peccato, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio X.

Chriſtus exuitur veſtibûs.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

ANtequam ad locum Crucis ventum erat, adoriuntur JESUM efferati carnifices, ac immani rabie ex cerebro ſpineam Coronam, ac ex vulneribus, quibus concreta erat, tunicam unà cum carne, ac cute, abſtrahunt tanta crudelitate, ut JESUS, ceu excoriatus, ac excarnificatus,

tus, totus ſanguineus appareret, verè factus *Sponſus ſanguinum.* (*k*)

Accede jam propius ô peccator! & *lege rubrum, ſi vis cognoſcere nigrum.* Lege ex roſeo JESU Chriſti ſanguine, ceu Rubrica, nigredinem, abominationem, gravitatem, & enormitatem peccatorum tuorum, & exclama cum S. Thoma Villanovano: (*l*) *O infinitam audaciam peccatoris! qui poſt tale ſpectaculum peccare non formidat.* Sed non formidavi ego! Protervâ igitur frendens audaciâ, crudali manu JESUM ſpoliavi veſtibus, *quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum.* (*m*) En! ait Apoſtolus: *propter remiſſionem præcedentium delictorum*; quia (ùt exponit S. Thomas) impoſſibile videbatur Apoſtolo, quemquam deinceps peccare poſſe, qui crediderit, tanta JESUM tormenta pro expiatione peccati perpeſſum eſſe.

O mi JESU! utinam non fuiſſet poſſibile, ut te, poſt tam horrendas paſſiones, & tam graves pro peccatis ſatisfactiones, de novo, & frequentiſſimè quidem offenderem. Quoniam verò factum infectum fieri non poteſt, ſaltem deinceps luctabor adversùs omne peccatum, & ad ſanguinem uſque reſiſtam, ut non ampliùs peccem tibi, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(*k*) *Exodi 4.* (*l*) *ſer. 2. Advent.* (*m*) *ad Rom. 3.*

Statio XI.

Christus Crucis figitur.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

JESUS Christus à petulanti carnificum turba immanissimè in Crucem prostratus, manibus, pedibúsque incredibili crudelitate Cruci acclavatur, & affigitur.

Super luctuoso hoc spectaculo dole, ô anima mea! & multum dole. An enim non doleres, si audires belliducem prædivitem Regis cujusdam Christiani à turcis, sponsione unius nummi solicitatum, ut Regem suum occideret, eò perfidiæ progressum esse, ut turpis lucri pretiô inescatus re ipsa Regem suum immani vulnere è vivis exturbarit? vah! quantum lugeres, & tantam perfidiam cordialissimè detestareris? Rectè luges: sed, si sapis, hunc ipsum luctum ad te converte. Tu enim es ille Bellidux prædives, utpote Dominus omnium Creaturarum, multa naturæ, & gratiæ talenta nactus, sub signis JESU Nazareni Regis Judæorum militans: tu, inquam, es ille, quem juratus Christiani nominis hostis, turca infernalis, ad Regis necem instigabat, sponsione facta unius nummi, vilissimæ cujusdam voluptatis, momentanei honoris &c. Et (heu! quis tantum nefas de Christiano, nè dicam Religioso, credat?) tu vilissimi amore pretij, Regi tuo, Deo & Creatori tuo, necem machinatus es, eundem in Crucem egisti, tribûs horrendîs clavîs crudelissimè

ſimè crucifixiſti, barbaros mallei, ſeu malitioſæ voluntatis ictus multiplicâſti, & Regem tuum occidiſti. Et tamen non luges, non triſtaris, non contremiſcis, & præ dolore non moreris!

O JESU! Dominus meus, & Deus meus! doleo utique, & meum me delictum, & immanis perfidia, horrendum diſcruciat. Ah! utinam in tantum poſſem illum dolorem intendere, ut vitam, quam tibi perfidè ademi, meæ vitæ profuſione aliquatenus compenſare poſſem, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XII.

JESUS in Cruce moritur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

JESUS Chriſtus, ut perfectum de peccato reportaret triumphum, immaniſſimîs doloribûs oppreſſus, in Cruce mortuus eſt.

O anima! potéſne hæc videre, & vivere? Oeniponti ærea ſtatua viſitur nobilis cujusdam equitis, lanceæ ſuæ innixi. Hic, cùm audiviſſet, Patrem ſuum ab hoſtibus bellô captum eſſe, continua ſtrage illos perſequebatur, & inter alios Patrem ſuum proprium, quem hoſtem crediderat, lanceâ ſuâ interemit. Reverſus tandem, ùt inter furoris ſui victimas cataphractum conſpexit militem, galeam eidem detraxit, & mox ſummo horrore correptus vidit amantiſſimum ſuum Patrem à ſe fuiſſe occiſum. Flebilis iſte caſus adeò cor

ejus

ejus penetraverat, ut lanceæ ſuæ innixus, lacrymas inter, & lethales ſingultus, ipſemet mortuus ſuper Patrem corruerit. O Peccator! Peccator! tu non per errorem, ſed ex propoſito, amandiſſimum tuum Patrem, à quo vitam, & ingentia beneficia accepiſti: tu Deum, Dominum ac Redemptorem tuum, amabiliſſimum animæ tuæ ſponſum ac fideliſſimum amatorem: tu, inquam, Patrem tuum Divinum, crudelî peccatorum tuorum lanceâ dirè vulneràſti, transfixiſti, occidiſti. En! mortuus pendet coram te, totus vulneratus, & ſanguine perfuſus. Eheu ſpectaculum ab orbe condito luctuoſſimum! Huc oculos! huc mentem, ô peccator! vide, dole, lacrymare, eiula, morere!

O JESU! O Amor! ô funus! ô ſpectaculum! ô infinities maledictum peccatum! Ah! vivere ſupplicium eſt, dum vitam meam in cruce video mortuam. Profecto: *videbunt, in quem transfixerunt.* (n) Ah mors veni! & crudelem meam animam ex corpore expelle!

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(n) *P. Fritſch. in Manuduct. ad viam Crucis.*

Statio XIII.

Depoſitio Chriſti de Cruce.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CORpus Salvatoris mortuum piorum quorundam manibûs de Cruce fuit depoſitum, & ad ſin-

num

num Virginis Matris, juxta Crucem ſedentis, & lugentis, deportatum.

Nôſti, ô peccator! reus es homicidij, & Deicidij. Divinus Pater Judex tuus eſt: ipſe ulciſcetur mortem Filij ſui Unigeniti: lata jam eſt ſententia: *Sanguinem pro ſanguine: animam pro anima.* Heu! quomodò ſubſiſtes? Sed novos reſume animos! necdum enim tuâ causâ cecidiſti. *Neque enim Pater judicat quemquam; ſed omne judicium dedit Filio.* (o) Accede ergo Judicem tuum, cum multa fiducia. En! pro tribunali ſedet in ſinu Matris Miſericordiæ. O verè ſtupendam Dei miſerationem! *Pater non judicat quemquam:* Sed me judicari vult à fratre meo amantiſſimo: ab illo, qui per 33. annos laboravit, & Patronum cauſæ meæ egit, ut propitiam impetraret mihi ſententiam. Nunc omne judicium illi datum eſt. Miſericordiam clamat Mater miſericordiæ: Miſericordiam poſtulant tot ora, quot vulnera: Et Judex meus inclinato capite dixit: *Fiat.* Imò hanc decretoriam protulit ſententiam.: *Pater! dimitte illis; non enim ſciunt, quid faciunt.* (p)

Deo gratias pro hac clementiſſima ſententia! O JEſu! tu verè es *Pater orphanorum, & Judex viduarum.* (q) Verè *miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi: juſtitia, & pax oſculatæ ſunt.* (r) Ah; da gratiam, ut miſericordiam conſecutus, tuam indignationem tremendam, per vitam ingratam non provocem, Amen. Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

(o) *Joan.* 5. (p) *Luc.* 23. (q) *Pſal.* 67. (r) *Pſal.* 84.

Statio

Statio XIV.

Corpus Christi defertur ad sepulchrum.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

JOseph Arimathæus audacter accessit Pilatum, & petiit ab eo, ut sibi liceret corpus JESU mortuum de cruce deponere: quo impetrato illud operâ Nicodemi reverenter deposuit.

Non pepercerunt sumptibus, & laboribus, Joseph, ac Nicodemus, ut sepulturam Christi redderent gloriosam. Exciderunt sepulchrum amplum, & magnificum: straverunt illud sindone munda: repleverunt pretiosissimîs aromatibûs, & cum multis lacrymis in eodem corpus Dominicum deposuerunt. O anima Peccatrix! tu fors non habes, unde sumptuosum Christo adornes sepulchrum: habes tamen duo minuta, quæ ad sepulchrum Christi offerre potes, corpus scilicet tuum, & animam. Hæc depone, & sindone munda involve, hoc est: corpus, & animam tuam, omnî curâ & studiô, conserva in puritate vitæ, ac morum integritate, ut nihil deinceps committas, quo sepulturam Christi sanctam, ejusque corpus immaculatum, inhonorare possis.

O mi JESU! hæc duo minuta, corpus nimirum, & animam meam ad sancti tui sepulchri devotissimam venerationem offero. Tu advolve lapidem ad ostium monumenti, ut nihil coinquinatum intrare deinceps possit in animam meam, quo te denuo offendere præsumerem, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio XV.

Signum ſanctæ Crucis.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

SAncta Crux eſt nidulus ille, in quo voluit mori Job, dicens : *in nidulo meo moriar.* (ſ) Nidulus iſte duriſſimus fuit Salvatori noſtro : nobis autem mollis, & ſuavis; velut expertus eſt ille, qui, cùm peragratîs locîs ſacrîs, in quibus Myſteria Dominicæ Paſſionis recolebantur, veniſſet ad eum locum, è quo Chriſtus triumphator cœlum conſcendit, conſtitit, in hæc verba prorumpens : *O JESU! amore tui ingens confeci iter : veſtigia tua ſacra veneratus ſum, & demum poſtrema, quæ aſcenſurus ad Patrem reliquiſti, devotiſſimè exoſculor: Dignare animam meam ad te in cœlos avocare.* Hæc elocutus obdormivit in Domino. (t)

O anima ! Sacro-Sancta Redemptoris tui veſtigia in hac ſacra crucis via, devotè venerata es, & eadem multîs gemitibûs honorâſti. Poſtrema jam ejusdem veſtigia, in ſancta cruce relicta, ardenter exoſculare, & exclama :

O Crux ſacratiſſima ſalve ! tu es requies mea in ſæculum ſæculi : hic habitabo; quoniam elegi eam. In hoc nidulo meo moriar. O JESU ! ſacrum hoc iter verè pœnitens confeci. Ah! ſtabilem in me conſerva tuæ Paſſionis memoriam, & crucis amorem, ut inde mihi cœlum conſcendere liceat, unde tu conſcendiſti. Hanc unicam nè denega gra-

tiam : ut, si me denuo prævaricatorem futurum prævideas, hoc momento è vita tollas, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

(s) Job. 19. (t) Apud S. Bern. sen. ser. 1. de Ascens.

PRAXIS XIV.

Sacræ Communioni, & Sacrifici o accommodata.

Statio I.

Christus damnatur ad Crucem.

℣. Adoramus te sanctissime Domine JESU Christe, & benedicimus tibi !

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

SAtisfacturus impiæ Judæorum petitioni Pilatus, tradidit JESUM voluntati eorum.

O Religiose ! æternus Pater in SS. Missæ sacrificio, aut SS. Communione, etiam voluntati tuæ tradidit JESUM. Cogita, quid fecerint Judæi : quomodo ad eum excipiendum cum fustibus, & laternis processerint ? qua ratione eum tractaverint ? Ah ! quid tu fecisti ? An non etiam tu venientem ad te filium Dei fustibûs malæ præparationis, immundæ conscientiæ, & luridæ, ac perfunctoriæ actionis excepisti ? quomodo eum tractâsti ?

ctâſti ? quâ reverentiâ ? quô ſtudiô , timore , ac tremore ? O ! ſi Pilatus, lumine fidei illuſtratus, cognoviſſet, JESUM eſſe filium Dei : Regali haud dubiè cultu eum honorâſſet. O Sacerdos! ô Sacerdos! Sicne filium Dei vivi , Deum tuum , Judicem tuum tractas, & tractare perges ?

O Pater æterne! qui dediſti filium tuum Unigenitum voluntati meæ: da pariter, ut voluntatem meam perverſam viciſſim tibi tradam,ut aliud deinceps adeò cordi mihi non ſit, quàm JESUM amare , quàm eum devotiſſimè excipere , & decenter tractare, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

Statio II.

Chriſtus Crucem ſuſcipit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

AUditâ injuſtiſſimâ Pilati ſententiâ ſummopere jubilârunt Judæi , & JESU Chriſto , ferreîs vinculîs , funibúſque conſtricto , graviſſimam Crucem impoſuerunt.

O Sacerdos Dei altiſſimi ! ad prolationem verborum Conſecrationis audita eſt Divini Patris ſententia : *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate.* Et re vera tu accepiſti filium Dei : ſed eum ſecundùm legem tuam ſacerdotalem, & Religioſam , non judicâſti. Hinc ex Religioſo Judæus, ex ſacerdote factus es lictor. Tu JESUM inhonorâſti : gravem ei crucem impoſuiſti , imò ad

mortem duxisti non tantùm, sed fors rapuisti, scandalosa SS. Missæ sacrificij acceleratione, actionibûs irreligiosîs, oculîs dissolutîs, manibûs minacibûs, affectibûs non purificatîs, & utinam! actu non coinquinatîs. Ah! tibi à JESU tacitè acclamari crede, quod S. Bonaventura lurido ejusmodi Presbytero in aurem dixit *Virginis Filium tractas.*

O JESU! ah! utique etiam ego, & quidem frequenter nimis, novum Crucis pondus tibi imposui, & contumeliosîs funibûs constrinxi, dum Sacro-Sanctum corpus, & sanguinem tuum Eucharisticum indispositè, luridè, ac irreverenter tractavi. Da, quæso hujus veniam criminis, pro cujus, & aliorum omnium delictorum meorum, expiatione, quàm ardentissimo affectu Sacratissimum corpus. & sanguinem tuum, hodie, & deinceps, conficiam, & recipiam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio III.

JESUS sub Cruce corruit.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

EX horribili Judæorum, ac carnificum crudelitate, JESUS viribûs destitutus in terram corruit ad pedes impiorum, qui se afflixerunt.

Ad tuos quoque pedes virtus Dei demittitur ô Sacerdos! Cave, nè tuîs illum Sacrilegîs pedibûs protundas, & propulses: dum JESUS furiosis tuis

pas-

paſſionibus, & indomitis animi affectibus, haud ſecùs, ac pedibus hoſtium ſuorum, iniquiſſimè ſors ſubditur, & conculcatur. Ah emenda te, & vice verſa pedibus JESU tuas ſubde paſſiones, ut ſub te ſit appetitus tuus, & tu domineris illi. Caþe generoſos ſpiritus, & firmiter propone, paſſiones illas crudeles ſupprimere, quibus nôſti te frequentius ſuccumbere, & Deum ſæpius offendere. Hoc ſi efficaciter deſideras, examen particulare inſtitue.

O JESU Euchariſtice! nè deinceps incidens in latrones, pedibûs immortificatarum paſſionum, ac affectionum mearum, peſſimè tracteris, ac conculceris, ſolicitè vigilabo, ut illas ſupprimam, eradicem, & quietam in corde meo tibi ſedem conſtruam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio IV.

JESUS obviat Matri ſuæ Mariæ.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

VOluit JESUS, ultimum dicturus vale Matri ſacratiſſimæ, paulisper cum ea morari in colloquio: ſed cum ſumma rabie à lictoribus propulſatus eſt.

Ah! quis nolit cum JESU tantiſper converſari? Ille non vult, qui Sacro-Sanctum Miſſæ ſacrificium celerrimè deproperat, & tam intra, quàm poſt ſacrificium, Sanctámve Communionem, diutius

tiùs cum JESU conversari, & commorari fastidit: imò volentem diutiùs manere, & suave affectantem alloquium, cum fastidio repellit, & dedignatur, ad vanas properans garrulitates, & occupationes. Heu qualis impudentia! Regis alloquium respuere, ut cum vilissimis mancipiis confabulari liceat.

O JESU mi dulcissime! dolenter recogito, quòd te neglecto, horas, & tempus omne, in vanissima conversatione perdiderim. Ast deinceps, præsertim in SS. Missæ sacrificio, & post Communionem, longiorem moram in tua conversatione protraham. Tunc loquere, ô Domine! quia audit servus tuus, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio V.

Simon invitus portat Crucem JESU.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

JESU deficiente, cùm nemo inventus esset, qui Crucem post eum ferre vellet, coactus est Simon: at ipsa hujus reluctatio cor JESU novo dolore discruciabat.

Eodem dolore JESUM afficit Sacerdos, raró Passionem Dominicam recogitans. Cùm fugeret David à facie Absalonis, *universi servi ejus ambulabant juxta eum* 2. Reg. 15. Solus Miphiboseth, commensalis ejus, quia altero pede claudus erat, non veniebat cum eo. Cujus absentiam ægrè adeò

deò tulit David, ut poſtliminiò reverſus eidem exprobraret: *Quare non veniſti mecum Miphiboſeth?* Quaſi diceret: ad menſam meam comparuiſti: at dum fugio ad montem oliveti, *quare non veniſti mecum?* O Sacerdos! qui de Divina JESU Chriſti menſa Regalibûs, & cœleſtibûs ſæpe refectus es dapibûs: ingenti dolore cor JESU dilanias, ſi non exeas cum eo ad montem oliveti, & ſacras Stationes rarò recolas.

Domine mi Rex, Chriſte JESU! non tantùm in montem oliveti, ſed in mortem tecum ire paratus ſum, & animam meam pro te ponere, quam Sacramentali pane, ac vinô, hactenus tam miſericorditer paviſti. Qui autem jam tecum mori non poſſum, ſaltem cruenta mortis tuæ veſtigia devoto ſæpe affectu recolam, & lacrymîs irrigabo, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio VI.

Veronica cum Sudario.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

VEronica, videns miſerandam JESU faciem, commiſeratione commota, velum eidem porrexit: & muneris locô Divinæ faciei effigiem reportavit.

Miſeranda pariter erat facies animæ meæ, peccatorum ſordibûs fœdiſſimæ. Commiſeratione autem commotus æternus Pater, velum mihi por-

rexit, *purgationem peccatorum faciens.* Hebr. 1. Sacratiſſimam Chriſti humanitatem, & imaginem vultûs ſui in auguſtiſſimo Altaris Sacramento mihi donavit. Sed quid ego viciſſim tanto Benefactori obtuli ? An non, ſi non ore, ſaltem opere dixi juratis Dei mei hoſtibus: *quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam ?* Si hoc non dixiſſem debuiſſem majorem adhibere conatum ad peccata vitanda, ad concupiſcentias edomandas, ad condignam tanti hoſpitis venerationem, & ſanctimoniæ cultum.

O JESU! juſtiſſimè tu conquerereris Pſal. 87. *Traditus ſum, & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.* Traditus es mihi in SS. Altaris Sacramento, & non egrediebaris: oculi autem tui languerunt præ inopia, nihil in me videntes, quod tanta dignum foret Majeſtate. Tu igitur tuâ ſacratiſſimâ præſentiâ cor meum cœleſtibûs virtutum theſaurîs reple, illúdque æternum poſſide, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

Statio VII.

Chriſtus altera vice ſub Cruce cadit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

Extra portam, quæ *Judiciaria* dicitur, grave denuo patitur JESUS deliquium, & graviſſimo lapſu ſub Cruce in terram corruit.

Arbitrantur non nulli, lapſum hunc inde contigiſſe, quòd piiſſimus Salvator non procul à via ex arbo-

re pendentem conſpexerit Judam : qui aſpectus furioſæ inſtar lanceæ omnes ejus medullas penetrabat. Conſidera ! ſi tanto dolore Divinum illud cor affectum eſt ex aſpectu furis, apoſtatæ, & traditoris ſui : quantô non afficietur, ſi videat Miniſtrum ſuum, amicum, & Plenipotentiarium, Sacerdotem ſcilicet, graviora, aut æquè gravia, ac Judas, perpetrare facinora ; furem fieri Divinorum Myſteriorum, apoſtatámque ab Apoſtolica vivendi forma : imò Dei, ac Domini ſui contemptorem, ac traditorem ? Iſte aſpectus, cor JESU affligit, vires adimit, & in terram præcipitat, ut juſtè conqueratur Pſal. 54. *ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique : &, ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſondiſſem me forſitan ab eo. Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos.* Tu quia talia feciſti, doloris impotens in terram ruo.

O JESU ! ulteriora hujus Pſalmi verba, quovis gladio penetrantiora, dignanter ſuſpende : *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes : quoniam nequitiæ in habitaculis eorum.* Scio : mortem, & infernum merui. Non Sacerdos, ſed carnifex : non Miniſter, ſed apoſtata fui, ac proditor. Tu autem, qui meas iniquitates portâſti, miſerere mei, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

Statio VIII.

Mulieres deflent JESUM.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

PIæ quædam mulieres, cùm vidissent, quòd JESUS tam indignè, ac bestialiter, à Judæis affligatur, non potuerunt sibi temperare à cordialissimis lacrymis.

Et quis non fleat, si videat Salvatorem suum tam malè, & indignè tractari? lugemus, si nostris parentibus, aut amicis, sinister casus accidat; nec possumus dolorem abscondere. Cur autem dolorem, si quem habemus ex Passione Domini, Patris nostri amandissimi, abscondimus, & eum in frequenti Sacrarum harum Stationum visitatione non manifestamus? Ah! si dolore non possumus vices JESU, à Judæis crudelissimè tractati: saltem ingemiscentes doleamus, quòd à multis luridis Sacerdotibus tam malè, imò pessimè tractetur. Utinam & ego non essem inter illos!

O JESU, Episcope animarum nostrarum! da veniam, quòd te quidem per peccata nostra feceerimus deflendum, non autem defleverimus. En! corda jam, & oculi nostri, tibi illacrymantur. Ah! pariter Deus tu conversus vivificabis nos, & plebs tua lætabitur in te, nec ampliùs te offendet, sed digna tua Majestate operabitur, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio IX.

Christus tertiò sub Cruce cadit.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

DEspicabiliter Christus à lictorbus tractatur. Ille caput, alter dorsum, tertius brachia, alius latera fuste tundit aut pede : ut adeò totus debilitatus miserando lapsu in terram cadere coactus sit.

O Sacerdos! quomodò tu eum tractas? fors luridè satis, & indecenter. Dolorosè hæc tractatio Christo accidit. Adversùs Judæos non legitur JESUS conquestus esse ; sed adversùs luridos Sacerdotes conqueritur Malach. 1.v.6. dicens: *Filius honorat Patrem, & servus Dominum suum. Si ergo Pater ego sum : ubi est honor meus?* & , *si Dominus ego sum; ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum ad vos, ô Sacerdotes! qui despicitis nomen meum, & dixistis : in quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis : in quo polluimus te? in eo, quod dicitis: mensa mea despecta est.* O Sacerdotes! notate verba, signate mysteria.

O mi JESU! per amaras illas, quas tibi expressi querelas, pérque repetitos te rogo lapsus, concede gratiam, ut tanto fervore deinceps, quantâ priùs negligentiâ, Divina peragam Mysteria, & meæ dignitati digna respondeat vita, & conversatio, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio X.

JESUS exuitur vestibûs.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

UT confusio major, & dolor esset penetrantior, triplicata crudelitate in JESUM desævitum est. Vestibùs eundem exuerunt, & coronam spineam, quam priùs profundè venerando ingesserant capiti, violenter evellunt, ac denuo majori vî imprimunt.

Sic nimirum agnus ille immaculatus aptatur ad sacrificium, tripudiantibûs interim Sacerdotibûs, hujus crudelitatis authoribûs. Ast Patri Divino placuit quidem sacrificium; sed non placuêre Sacerdotes; & ídeo gravissimè in eos animadvertit. O Sacerdos Religiose! recogita: an non Pater Divinus, dum incruentum offers sacrificium, multa in te inveniat, quæ ejus mereantur displicentiam? si reum te nôsti, dole, & emendare.

O Deus meus! multa utique, & valde multa sunt, quæ tibi in meo potuêre ministerio displicere: præparatio lurida: actio indevota: affectus frigidus, & indigna filij tui tractatio. Ah parce precanti! deinceps, te adjuvante, talem me exhibere conabor, qui dignus sit, ut sacerdotiô fungatur, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio XI.

Christus Cruci affigitur.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

APprehenderunt carnifices JESUM, & in crucem dejectum manibûs, pedibúsque, clavîs ferreîs affigunt, sanguinémque copiosè defluentem aut rident, aut aspernantur.

Tu ô Sacerdos! sanguinem Sacro-Sanctum collige; tibi enim, & tui similibus per Isaiam c. 12. dictum est: *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*: aquas nimirum salientes in vitam æternam. Recordare interim: an in gaudio, an verò omnino has possis haurire aquas? In gaudio non bibuntur aquæ turbidæ. Ah utinam! purissimas horum fontium aquas, quantùm in te est, non turbâsses, apponens cor & os coinquinatum, nè dicam Sacrilegum. Utinam! venam æquarum, viventium non totaliter obstruxisses, accedens absque siti, sinè devotione, sinè præparatione; imò cum nausea, luridè, coactè. & indignè. Sed cave: nè ex fontibus Salvatoris, non salutem, sed interitum bibas; *qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* 1. ad Cor. At verò quomodò tu dijudicâsti corpus, & sanguinem Domini?

O JESU! si vera fide dijudicâssem corpus, & sanguinem tuum, impossibile fuisset, ut ad tantam incuriam, tepiditatem, & nauseam devenirem, ad quantam me devolutum actu conspicio.

Sed

Sed dabis gratiam, ut ferveam, ut ſitiam, méque ipſum probem, & ſic ſalutem hauriam de SS. ſanguine, ex fontibus Salvatoris deſcendente, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XII.

JESUS in Cruce moritur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CHriſtus moritur, & in Cruce vivam ſeſe Patri pro peccatis meis offert Hoſtiam.

O Sacerdos! tu etiam Patri offers in Altari Hoſtiam; ſed non de tuo. Offer ergo, ſi quid habes, etiam de tuo. Si non invenis, quod offeras, fac, quod Chriſtus B. Mechtildem docuit, dicens: *Offeras Patri meo cæleſti, vel mihi, meam puritatem, & innocentiam pro tua impuritate: meam humilitatem, pro tua ſuperbia: meam pietatem, & charitatem, pro tua duritia, & tepiditate: meam denique ſanctiſſimam converſationem, pro tua negligentia, & imperfecta vita.* Sequere hoc conſilium, tibi ſummè neceſſarium, & dic:

O Pater æterne! ſimul cum hoc pane, & vino, offero tibi intellectum, voluntatem, oculos aures, linguam, cogitationes, verba, & opera, non ùt munera Majeſtate tua digna; ſed ut hæc omnia in melius commutes. Sicut enim panem, & vinum, in Filij tui corpus, & ſanguinem convertis; ita intellectum meum in intellectum Chri-

ſti converte ; ut cogitem, quæ ipſe cogitat, voluntatem meam in Chriſti volentatem ; ut aliud non velim, quàm velit ipſe. Membra! deníque cætera in membra Chriſti; ut vivat Chriſtus in me. Ipſe per oculos meos videat, per linguam meam loquatur, per aures meas audiat, voluntate mea velit, & intellectu meo cogitet. Hac per mutatione totus deſinam eſſe meus, & fiam totus tuus. Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

Statio XIII.

Chriſtus de Cruce deponitur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CORpus Redemptoris Joſephus, & Nicodemus, de Cruce deponentes, ad ſinum Virginis Matris Mariæ deportaverunt, antequam ferretur ad ſepulchrum.

Conſidera Sacerdos ! Noluit JESUS corpus ſuum, mortuum licèt, confeſtim tamen glorificandum, ad nudam terram ; ſed ad ſinum Sanctum, amantiſſimum, immaculatum, & Virgineum deportari. Quomodò ergo non horrebit, ſi in cor tuum aſperum, conſpurcatum, vanum, & incompoſitum, poſt verba Conſecratoria deferri corpus ſuum glorificatum videt ? O Sacerdos ! non habes ſanctitatem S. P. Franciſci, nec puritatem S. Bonaventuræ, & tamen ille à ſacerdotio, hic à SS. Communione abſtinuit, utérque

ſe

ſe indignum, & impurum ratus. Tu autem nec abſtines, nec purus es à peccato, nec diligentiam adhibes, ut immaculatum te cuſtodias ab hoc ſæculo.

O JESU! ô Amor! ô Ignis! tandem aliquando è foco Euchariſtico cor meum apprehende: negligentias concrema: teporem excute, & ſanctum me redde: tui amatorem effice: purifica, & ad digniorem tui receptionem præpara, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XIV.

Sepultura Chriſti Domini.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CORpus Filij de ſinu Matris Virginis tollitur, & ad ſepulchrum lapideum quidem, ſed mundiſſimum, transfertur: quæ quidem translatio Matri amantiſſimæ doloroſiſſima fuit.

Perpende ô Sacerdos Religioſe! an non multò major dolor pectus divini Patris, & viſcera Filiæ æterni Patris, ac Matris Filij Dei pervaſerit, & pervaſurus ſit; ubi viderit, per verba conſecrationis tremenda Filij ſui corpus, è ſinu ſuo ereptum, ad ſepulchrum cordis tui, multifaria, & omnigena coinquinatione maculatum, transferri? Et hunc dolorem, cùm facile poſſis, non mitigas!

O Pater æterne! JESU Fili Dei vivi! ô MARIA,

RIA, Mater doloroſiſſima! miſeremini mei! Ah! ex intima cordis affectione doleo, quòd indigna corporis Dominici, aut ſaltem indevota ejus ſumptione, corda veſtra ingenti dolore diſcruciaverim. Ah! rogo vos quàm demiſſiſſimè: dolorem pariter illum à cordibus veſtris ad meum cor transferte, ut eo inſtructus docear majorî reverentiâ, fervore, & devotione, ad SS. Euchariſtiam accedere, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XV.

Triumphale Crucis ſignum.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

SAncta Crux eſt vexillum ſupremi Ducis noſtri JESU Chriſti, quod debent ſequi omnes illi, qui Chriſtiana Religione, multô magis, qui Religioſa profeſſione cenſentur.

Sacerdos Religioſe! quid de illo judicas, qui ſe ſtrenuum invictiſſimi hujus Ducis militem jactitat: aſt ubi in ſequela hujus vexilli iter ineundum, & in aciem deſcendendum eſt, toto corpore, & animô trepidans, ire recuſat, eo ſolùm abſterritus motivô, nè fors tenellos pedes ſuos, ad parvos lapillos, in via poſitos, offendat? Profectò dices, eum & nomine, & chlamyde militis indignum. Verùmtamen ex ore tuo te judicâſti. Miles es Chriſti, & Religioſus quidem; id enim veſtis tua Religioſo-militaris de-

clarat. Ast sequerisne Crucem ? Ecce ! ante, & post sacrificium valde tremulus es, non audes per quadrantem, nè dicam per medium horulæ, in præparatione, & gratiarum actione persistere, ne parvi lapilluli levissimæ cujusdam incommoditatulæ te premant : hos ipsos times in observatione silentij, in sensuum ex- & internorum refrænatione. O te præclarum militem ! aut nomen muta, aut animum.

O JESU ! nomen Religiosi militis nec possum, nec volo mutare : mutabo tamen mores, & animum. Crucem sequar, Crucem arripiam, & sub hoc vexillo contra meipsum decertabo, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

PRAXIS XV.

Quæ pariter servire poterit in ordine ad Eucharistiam.

Statio I.

Christus damnatur ad mortem.

℣. Adoramus te sanctissime Domine JESU Christe, & benedicimus tibi !

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

CHristus JESUS à Pontio Pilato per summam inju-

injustitiam condemnatur ad mortem, & æquanimiter sustinet.

Considera, quòd etiam Christus in SS. Communione ab infinita sua, qua te diligit, charitate, damnetur ad cor tuum, quod forsan est omnî Pilatô crudelius, omnî Judæô ferocius. Anne putas, quòd etiam hanc tuam injustitiam æquanimiter ferre possit?

O Amor Divine! mitte, quem missurus es, & demitte illum in cor meum; per tuam enim gratiam illud non erit ampliùs sedes iniquitatis, sed Regia Deô digna. Veni ô JESU! & cor meum incole, illustra, & totaliter sanctifica, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio II.

Christus Crucem suscipit.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

CHristus JESUS Crucem, à Judæis sibi præparatam, cum ingenti amore, ac fervore suscipit.

Quid huic amori respondebis Religiose? Corpus Christi Eucharisticum stude semper suscipere cum ingenti amore cordis, & fervore spiritûs, & quemadmodum Christus Dominus ad mortem se præparavit per voluntariam Crucis bajulationem, ita quoque ad suscipiendum SS. Eucharistiæ Sacramentum te præpara per voluntariam Crucis tolerantiam, per mortificationes, ac opera superero-

rogatoria. Feciſtine unquam talia? ſi non: ſaltem deinceps facies.

O JESU Euchariſtice! qui te ad tuimet ipſius ſacrificationem per catenarum, ac Crucis pondera, per ſpinas, & flagella, per dolores, & vulnera præparâſti: concede, ut ad Divinas tuas epulas, ex SS. Sacrificio iſto participandas, carne & ſpiritu mortificatus ſemper compaream, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio III.

Chriſtus ſub Cruce cadit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

CUm Salvator innocentiſſimus, per urbis plateas, lapidibûs ſtratas, verbera inter, & mille opprobria propelleretur à veſana carnificum turba, nec propter doloroſiſſima pedum, humeríque vulnera, ulterius progredi valeret, graviſſimo lapſu ſub Cruce corruit.

Gravis equidem erat hic lapſus; ſed tolerabilis adhuc videri poterat, ſi cum eo comparetur, quo JESUS affligitur, dum in cor petroſum, & ſaxeum, aut manus cruentas improbi Sacerdotis, & communicantis dejicitur, ac malè torquetur. Proinde, ſi tu ad conſimilem lapſum impuliſti JESUM, efficaciſſimam propone emendationem.

O JESU Euchariſtice! tu non tantùm ſæpius in cor meum ſaxeum, ac petroſum, ſed omninò ſpinîs, ac tribulîs conſitum, decidiſti. Ah mitte in illud

illud penetrantem amoris tui flammam, ut purificetur, & colliquescat, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

Statio IV.

Christus valedicit Matri.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

EXtremè valedicturis Filio, & Matri, non permissum est, mutuìs affectibûs plura loqui; sed immani separatione Hæc rejecta, Ille fuit propulsatus.

Considera Religiose ! quantùm à Matre amantissima ægrè recedit Filius Dei, tantùm ad te non amantem horret accedere. Tu igitur, quemadmodum lacrymæ Matris in doloroso Crucis itinere Christum ad reciproci amoris exhibitionem invitabant ; ita per lacrymas & pœnitentiæ, & compassivi affectûs, Christum ad te invita, & Matris intercessionem implora.

Ah ! utinam amore tui diffluam ô JESU ! ut te dignativum cordis mei incolam habere merear. O MARIA ! per amarissimam tui à Filio separationem te deprecor : impetra mihi gratiam, ut hic, & in æternum, JESU meo conjungi merear, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

Statio V.

Simon tollit Crucem.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

CUm vidissent Judæi, & carnifices, JESUM deficere, nè solo Crucis pondere enecatus crucifixonem evaderet, reluctantibûs aliîs omnibûs, Simonem quemdam, fortè transeuntem, angariaverunt, ut Crucem JESU tolleret: qui & ipse initialiter omnibûs viribûs restitit.

Talis Simon, transiens viam Crucis, háncque nolens tollere, & portare, est Sacerdos, Sacrificium incruentum offerens absque debita præparatione, & frequenti meditatione Passionis Dominicæ. Indigna profectò res est! Christus, semetipsum sacrificaturus, Crucem bajulat: & Sacerdos, minister Christi, nîl minùs cogitat, quàm de Cruce, & Passione Domini.

Sit ergo fixum, ô JESU! devota sæpe mente Mysteria sacratissimæ Passionis tuæ recolam, ut per ea aptiorem me reddam ad memoriale Passionis tuæ celebrandum, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miserere mei.

Statio VI.

Veronica porrigit Christo sudarium.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

UT vidit Veronica vultum JESU Christi, miseran-

randum in modum defœdati, urgente intùs cordiali amore accurrit, & ſudarium eidem ad ſordes abſtergendas offert.

Tu ô Sacerdos! fidei oculô eundem vultum perſpicis; omnésque, qui te vident Altare conſcendere judicant, quod illum purgare velis, & JESUM, in extremis ſuis anguſtijs conſolari. Paramenta, ſitus, habitus, externa omnia, tuam commendant non minùs devotionem, quàm olim velum Veronicam. Tu interim (quod horreo dicere) accedis ad JESUM, velut proditorius Joab ad Amaſam dicens: *Salve mi frater! & tenuit mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum, --* & *percuſſit eum in latere.* 2. Reg. 20. Ita ſcilicet Chriſtum percutis luridiſſimîs actionibûs, diſſolutionibûs, & moribûs Sacerdotem dedecentibûs.

O mi Deus! ſi homines nôſſent, quàm iniquus & indignus Sacerdos ego ſim, digniorem me ſimô, quàm Sacerdotiô judicarent. Tu hoc nôſti; & tamen Sacrificium accipis de manibus meis. Ah utinam! me totum tibi ſacrificarem. En! cum Filio tuo memet offero: reſpice non in meam, ſed in Chriſti tui faciem, & faciem tuam averte à peccatis meis, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio VII.

Chriſtus denuo ſub Cruce cadit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

NOn ceſſante carnificum barbarie, & doloribûs

bûs nihil diminutîs, ſed continuò creſcentibûs, iteratò JESUS viribûs deſtitutus in terram prolabitur, & ſub Crucis pondere ingemiſcit.

Valde gravis, & pœnoſus erat hic lapſus; doloroſiùs enim cadit homo debilis, marcidus, & infirmus; & quidem eò doloroſiùs, quò frequentiùs. Sed, quòd ego tam graviter, tam frequenter in peccata corruam, debilis ſim, & marcidus, hoc imperceptibile eſt; cum tamen quotidie ſplendide epuler, & cœleſtibûs reficiar ferculîs. Stomachus meus fors in cauſa eſt, qui nauſeam habet ſuper cibo iſto leviſſimo. Heu me! hæc ægritudo certè eſt ad mortem, & niſi efficaciſſima adhibeam remedia, vigilias, orationes, carnis macerationes, & præſertim meditationem Paſſionis Dominicæ.

O JESU! potentiſſime animarum noſtrarum Medice! ah! cura periculoſum hunc morbum, & inſatiabilem cœleſtis menſæ tuæ famem in anima mea excita, ut panis ille tuus cor meum confirmet in bono, & mihi conducat in vitam æternam, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio VIII.

Mulieres plangunt JESUM.

℣. Adoramus te, ut ſuprà.

JESUM ad mortem eductum ſecutæ ſunt non nullæ Mulieres, quæ ex aſpectu crudeliſſimæ tracta-

ctationis in cordialiſſimas lacrymas ſunt reſolutæ: JESUS autem præcepit eis, ut ſuper ſe ipſas flerent.

Cogita, ô Sacerdos! ſi JESUS, mox futurus cruentum in CruceSacrificium, Mulieres ſe ſequentes juſſit, ut ſe ipſas deflerent: quantô magis Sacerdoti, illius ſacrificij memoriam celebraturo, dictum velit: *Super te ipſum fleto*, qui per peccata tua mortis meæ cauſa extitiſti. Sed quo animi luctu, qua contritione, & à peccatis averſione, acceſſiſti ad ſacrificandum? quoties lavacrô pœnitentiæ Sacramentalis animam purificas? Si te negligentem deprehendas, dole, & dic:

O JESU! doleo intimè, quòd absque doloroſa peccatorum meorum deteſtatione, aut Sacramentali confeſſione, Sacro - ſanctum Miſſæ Sacrificium, quod eſt memoriale tuæ ſacratiſſimæ Paſſionis, celebrare præſumpſerim. Deinceps verò in luctu, & puritate animi, Divina Myſteria devotiſſimè celebrare ſtudebo, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio IX.

JESUS tertiò ſub Cruce deficit.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

TAm horrendus, & violentus erat hic lapſus, ut copioſo corpus JESU totum dimanaret ſanguine: ſanguis verò iſte ſceleſtiſſimorum hominum pendibus fuit conculcatus, & inhonoratus.

Sed utinam ! Judæi tantùm, & inimici Crucis Christi, sanguinem istum profanâssent. Utinam non esset invenire Sacerdotes, qui ex sumptione Calicis Eucharistici recenti adhuc sanguine Christi madentes, in vanas conversationes, confabulationes, occupationésque frivolas effunderentur ! sed quid hoc est aliud, quam sanguinem Christi profanare, & conculare ? Vide sis, an non & tu illis annumerari merearis ? Sed væ tibi !

Ah mi JESU ! utique illorum unus ego sum, qui magnâ irreverentiâ te affecerunt, quotidie sumpto corpore tuo, & sanguine, ad nugas, & vanitates effusi. Intimè desuper doleo, proponóque firmissimè, sumptîs hîs Sacramentîs in gratiarum actione diutiùs perseverare, & dignè te ambulare, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miserere mei.

Statio X.

Christo auferuntur vestes, & corona.

℣. Adoramus te, ùt suprà.

ANtequam ventum erat ad locum Crucifixionis, aggrediuntur carnifices JESUM, ac primò coronam spineam, per cerebrum, & tempora, vî revellunt : dein concretam vulneratæ carni tunicam, pari immanitate, unà cum cute, & carne abstrahunt : ut adeò JESUS immenso dolorum, ac proprij sanguinis pelago, innatari videretur.

Eheu!

Eheu ! hoc eſt diluvium peccati grande, quod fecit JESUS in ſanguine ſuo. Hoc diluvium non quidem ſummitates montium quindecim cubitîs ; ſed ſummitates univerſæ malitiæ humanæ tranſcendit, non tantùm quindecim cubitîs, ſed infinitîs paraſangîs. Diſce, ô Sacerdos ! valorem hujus ſanguinis, diſce pretium. Gratis quidem valor iſte, & pretium à Deo datur : nemini tamen, præterquam æſtimanti, & ſuſpiranti. Quænam verò tua eſt hujus æſtimatio, & deſiderium ?

O Domine ! in recordatione priorum mearum negligentiarum, & vaniſſimarum converſationum, convincor, quòd exiguam de tam pretioſo theſauro habuerim exiſtimationem : modò autem ejus valorem accuratiùs expendens nihil æquè deſidero, quàm ut ſanguis tuus veniat ſuper me, & operiat multitudinem peccatorum meorum, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

Statio XI.

Chriſtus in Cruce extenditur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

JESUS Chriſtus, licèt, velut agnus mitiſſimus, ſpontè ſe in Crucem inclinaverit, manúſque, ac pedes, ad crucifigendum extenderit ; ferociſſimè tamen à carnificibus diſtenditur, acclavatur, dilaniatur, perforatur.

JESUS quidem hæc ſuſtinuit, & crudeli hoc

modo ſacrificari voluit. Tu autem, licèt libenter Deo tuo cum Hoſtia Euchariſtica ſacrificare te velles; truculentas tamen carnificum manus horres, & expaveſcis. Sed noli metuere! ſi ſacrificari deſideras: ecce Sacerdos magnus, Chriſtus JESUS, amantiſſimus Pater tuus te ſibi ſacrificare dignatur, & longè mitiùs, manſuetius, & leniùs te aget; jugum enim ejus ſuave eſt, & onus leve. Sed tu etiam hoc excutis.

O JESU! *Quoniam ſi voluiſſes, Sacrificium dediſſem utique:* Tu verò ex infinita tua miſericordia *holocauſtîs*, acerbiſſimè ſacrificandis, *non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum, Deus non deſpicies.* Spiritum ergo contribulatum, & ob ingentia peccata mea profundiſſimè ingemiſcentem, dignanter ſuſcipe in odorem ſuavitatis, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XII.

JESUS in Cruce moritur.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

SUmmus Sacerdos, Hoſtia immaculata, & Sacrificium, immenſitate dolorum victi, per doloroſiſſimam mortem, in medio duorum latronum, defecerunt, & conſummati ſunt.

Sic nimirum, *ſic Sacrificium iſtud inſtituit; cujus officium committi voluit ſolis Presbyteris, quibus ſic congruit.* Hoc Sacrificium peragit Sacer-

dos in Perſona Chriſti. Quis porro Perſonam Chriſti perfectiùs ſuſtinebit, & exprimet, quàm ille, qui ſibimet ipſi mortuus eſt in Cruce propriæ abnegationis, & indeſinentis mortificationis, ut verè poſſit dicere: *Chriſto confixus ſum Cruci?* Potesné, ô Sacerdos! tu hoc dicere? ſi non: fac poſſis. Præterea cave, nè corpus, & anima tua ſint duo quaſi latrones, in quorum medio crucifigatur denuo Filius Dei Euchariſticus.

O JESU! qui dediſti mihi indigniſſimo Sacerdoti poteſtatem, & commiſſionem tuam, ſacrificantis Perſonam ſuſtinendi: concede propitius, ut & modum ſacrificantis obſervans, tibi crucifigar, & commoriar, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XIII.

Corporis Chriſti de Cruce depoſitio.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

SEdebat non procul à Cruce Mater Crucifixi JESU; quia ſtare non poterat, dolorum gladiîs penetrata. Et per hos meruit, ut Filius dignaretur in ejus brachiîs requieſcere, priusquam ad Sepulchrum deferretur.

Conſidera: quanta mereatur per ſuos dolores Mater affliċtiſſima, non tantùm ſibi, ſed & mihi. Si enim compaſſa Sponſo in nuptijs Chananæis meruit, ut ex aqua vinum fieret: quid, putas, merebitur extremè compaſſa Filio? nunquid

ut ex lapidibus his, quorum omnium duriſſimus tu es, filij Abrahæ fiant? Accede, & roga eam ut à Filio tibi impetret donum compaſſionis, & dignæ Sacrificationis, ac Communionis.

O Mater deſolatiſſima! per immanitatem doloris illius, quo Filium tuum mortuum, & diriſſimè vulneratum vidiſti, pérque amorem, quo eum ſtrinxiſti, rogo te: impetra mihi compaſſivum dolorem, & dignam ſemper, ac amoroſam corporis, & Sanguinis Euchariſtici participationem, ut per tuas Virgineas manus in ſinum Abrahæ deportari merear, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XIV.

Corpus Chriſti fertur ad ſepulchrum.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

AD condignam Corporis Dominici ſepulturam Nicodemus, & Joſephus, nec ſumptibus, nec laboribus pepercêre. Exciderunt enim monumentum novum; coëmerunt aromata, præparaverunt linteamina; acceſſerunt Pilatum: contempſerunt timorem Judæorum: verbô: intentatum reliquerunt nihil, quod devotio, & pietas ſuggeſsêre.

Sacerdos, aut Communicans Religioſe! numquid complaces tibi in fervore horum Judæorum, qui erant occulti Chriſti Diſcipuli? Tu verò es publicus Chriſti Diſcipulus, & in conſimili cura,

circa

circa ſepeliendum Corpus Chriſti in corde tuo per SS. Communionem, complacet ſibi Dominus. Verùm edic: quos ſumptus temporis, quos labores impendis, ut ſepulchrum cordis tui excidatur, & in formam novam redigatur? ànne præparas linteamina virtutum, aromata bonorum operum, &c.

O JESU! confundunt me Judæi, qui ſummopere curârunt, ut Corpus tuum externè humaretur debito cum honore: ego verò, ut illud intra me ipſum recipiam, ſterto, deſes ſum, & otioſus. Ah! maledictam hanc injuriam amove à me, & miſerere mei, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

Statio XV.

Helena cum Cruce.

℣. Adoramus te, ùt ſuprà.

AScendens Chriſtus in altum, captivam duxit captivitatem, eandémque alligavit Cruci vinculîs inſolubilibûs.

Sacerdos Religioſe! quoties aſcendis ad altare, aſcendis in altum: ſed ſecuriùs non aſcendes, quàm ſi priùs in altum Crucis verticem aſcenderis. Ecce enim vacua eſt. Aſcende ergo, & captivam duces captivitatem paſſionum tuarum, qua hactenus detinebaris, eáſque Cruci Sanctæ ita alliga, ut nocere tibi deinceps nullatenus poſſint.

Per admirabilem aſcenſionem tuam, ô JESU Chriſte!

Chriſte ! qua nos in libertatem filioruui Dei perfectam aſſeruiſti ; rogo te : doce me Crucem conſcendere , & regnare à ligno , ut ſub me ſit appetitus meus, & hoſtes univerſi ; quatenus ad conſcendendum ſanctum Altare tuum perfectiùs diſponar, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe ! miſerere mei.

PRAXIS XVI.

Statio I.

CHriſtus à Pilato ad mortem Crucis condemnatus eſt ſemel : à me autem ſæpiſſime.

O JESU ! in æternum te non offendam ampliùs.

Statio II.

CHriſtus nuper gloriosè, & cum plauſu exceptus , nunc fert Crucem , & ad mortem educitur. Si fors ego hodie ad ſepulchrum educendus , aut efferendus ſum : quid me juvabit heri fuiſſe æſtimatum, & in bonis dies duxiſſe ?

Vanitas vanitatum , & omnia vanitas , præter amare Deum , & illi ſoli ſervire ! Scribe, ô JESU ! hanc veritatem in corde meo , ſtylô ferreô.

Statio III.

DOloribûs oppreſſus in terram ruit cumCruce. Si quid è manibus honoratioris Domini exciderit, ſolemus id tollere, ſed cum Chriſtus è ſinu Patris in terram decidit, velut gemma pretioſiſſima, non eum tollimus. Tu ſaltem Crucem ab humeris ejus tolle, ut faciliùs reſpiret.

O Pater æterne! utinam decideret Filius tuus cum Cruce in cor meum! & nemo eum tollat à me.

Statio IV.

LUget Mater DEI, conſpicata Filium ſuum à Judæis ad mortem educi. Et non lugebit, ùt videt, quòd à me educatur toties, quoties pecco?

O MARIA! tam triſtis eductionis ſpectatricem te non amplius efficiam.

Statio V.

CIrcumſpicit JESUS undíque, an non ſe offerat aliquis ad Crucis bajulationem Quæſivit utique etiam me Crucis bajulum, & conſocium. At verò nova Cruci adjicio pondera.

O! ſi eſſem tam gravis, & ſeverus mihi, quam gravis, & moleſtus fui Deo meo.

Statio VI.

HEu miſerè affectam, & in Veronicæ ſudario

expressam Domini faciem ! sed talem se foris exhibet . qualis intùs est in mente mea.

Sic nimirum : ô JESU ! in corde meo tu es novissimus virorum , despectus , & neglectus ! Ah ! respice me, ut agnoscam te.

Statio VII.

JESUS denuo cadit. Qui alios salvos fecit, seipsum salvare non vult à lapsibus , ut me salvet. Sed Sacerdos, confessarius , ac Religiosus, alios salvos facit per adhortationes &c. Seipsum autem salvare non vult idem faciendô.

Deinceps , ô JESU ! factor legis , non Doctor tantùm ero.

Statio VIII.

LUgent Mulieres JESUM à Jerosolymis egressum ; quia egressus est à filia Sion omnis decor ejus : id est, gratia ab anima fideli ; imò non egressus , sed expulsus. An hoc decore deinceps te spoliabis ?

Mane nobiscum, Domine ! nè meritò expellar à te.

Statio IX.

JESUS, cùm se sequentes Mulieres misericorditer esset consolatus , ideo propter bonum præstitum crudeliùs propellitur, cæditur, conculcatur ; donec in terram corruat. Ego verò , cùm pro meritis aut à Deo, aut ab homine punior , excandesco.

Ego,

Ego, ô JESU! in flagella paratus ſum: ſuſtinebo & à te, & ab homine: modò in æternum parcas.

Statio X.

SPoliatur veſtibûs, & innocentiſſimo veſtitur ſanguine. Sanguis Chriſti philtrum eſt, quô in ſui nos amorem nolentes cogat Deus. Ah inebrier hôc philtrô!

Dignare me, amare te, ô JESU amantiſſime!

Statio XI.

CRucifigitur, ut omnes videant, quid agendum, ut vitam æternam habeant. Ah video! ſed non facio.

Faciam tamen, amore tui, ô JESU! mei ipſius crucifixor fiam.

Statio XII.

COnfectîs tandem à prætorio Pilati uſque ad locum mortis 1321. paſſibûs, crucifixus, & in cruce elevatus eſt innocens Deus. Et quot paſſus ego feci pro amore Dei? pro bona morte? quot ad Dei injuriam, ad infernum?

O JESU! tu quidem greſſus meos dinumerâſti: Sed parce peccatis meis.

Statio XIII.

ASpectus JESU mortui, & de Cruce depoſiti doloris gladium in MARIÆ adegit viſcera: ſed non in mea.

O JESU! doloris gladium ex beatiſſima Matris tuæ anima extrahe, & perverſo cordi meo profunde infige, ut diſcam pati, & compati.

Statio XIV.

DOrmit JESUS poſt labores in Sepulchro. Ego, ubi agitur de ſalute animæ meæ, dormito, laboro nihil: at ubi Deus offendendus eſt, vigilo.

O JESU! pro tua gloria deinceps vigilabo, pro mea dormiam.

Statio XV.

SAncta Crux eſt lignum, de quo ait Salvator: ignem veni mittere in terram: & quid volo, niſi ut accendatur? quid verò tu vis?

O! ſi hujus ligni ignis terram cordis mei apprehenderet, & accenderet.

PRAXIS XVII.

Statio I.

AD mortem damnatur à Pilato, homine ethnico, infideli, barbaro. Utinam non idem ſuſtinere deberet Chriſtus ab homine fideli, Chriſtiano, Religioſo, & Sacerdote!

O JESU! Pilatus fui hactenus: ſed deinceps ero Religioſus, & amator tuus.

Statio II.

IMponunt Judæi Christo Crucem gravissimam: & non recusat. Imponit mihi divina providentia crucem levem : & recuso. O dedecus !

Salve sancta Crux ! te non recusabo posthac.

Statio III.

JESUS primò cadit sub Cruce. Ah ! quoties ego cecidi nulla pressus cruce ?

O infirmitas JESU mei ! confirma me ; ut non cadam amplius.

Statio IV.

OCcurrit Mater Filio Crucem bajulanti : Aspectus hic verè erat dolorosus Matri : sed dolorosior, dum me videt à cruce mortificationis fugientem.

Absit à me tam turpis fuga.

Statio V.

REcusavit Simon Crucem primitùs ; sed mutatus tulit eam. Tu, qui cum Simone Crucem recusâsti, cum Simone emendatus resipisce.

O JESU ! deinceps ad Crucem vocabis me, & ego respondebo tibi : operi manuum tuarum porriges dexteram.

Statio VI.

ASpice impressam velo faciem. Cujus est hæc ima-

imago ? Nunquid, Cæſaris ? Reddidiſtíne, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari ?

Ah ! non reddidi ; ſed, quæ defraudavi, eidem reddam quadruplum.

Statio VII.

IMmanitate militum, & carnificum, debilitatus JESUS in terram ſecundò corruit. Deſiſte, ô carnifex ! à tua ferocia ! At ille reſpondet mihi : deſiſte tu à peccatis tuis.

Ah deſiſtam ! & non adjiciam ultrà peccare Deo meo.

Statio VIII.

UT primùm hæ Mulieres viderunt JESUM acerbiſſimè tractatum, mox flere cœperunt. Ego eum taliter tractavi per peccata mea : ſed quando deflebo illa ?

Nunc tandem, ô oculi ! in fervidas erumpite lacrymas, & mea deplorate ſcelera.

Statio IX.

JESU, tertiò cadenti, non parcunt Judæi. Mihi millies cadenti pepercit Deus. Quare ? ut parcam Chriſto, non parcens mihi.

Abſit, ut in te, mi JESU ! fuerim crudelis, & in me ſim pius.

Statio X.

EXuitur veſtibûs, ſolâ tectus innocentiâ, & ſancti-

ſanctitate. Tu, ſi Religioſo exueris habitu, haberésne, quo adhuc tegereris?

Ah! hoc in caſu planè nudus conſiſterem. Sed ex nunc incipiam mihi texere veſtem ex inauferibili virtutum tela.

Statio XI.

DOloroſiſſimè crucifigitur; quia ſic oportuit pati Chriſtum, ut intraret in gloriam ſuam. Quid de me fiet, qui nec quidquam facio boni, nec quidquam tolero mali?

Abſit! ut ducam in bonis dies meos, & in puncto ad inferna deſcendam.

Statio XII.

MOritur amore hominis JESUS. Ecce tanti te fecit Deus. Vis ſcire, quanti tu Illum facias? propter modicam voluptatem offendis.

O maledicta voluptas! quæ morte Filij Dei comparatur.

Statio XIII.

DE Cruce deponitur per manus Nicodemi. Etiam meîs deponi vult, deſiderans, ut manus, quas extendi ad peccatum, extendam ad amplexum amoris, & boni operis.

O JESU mi! amplector te: Ah! pariter tu ſtringe me: non ampliùs dimittam te: & tu nè derelinquas me, Amen.

Statio XIV.

DElatus est ad sepulchrum inter inenarrabiles Matris afflictissimæ singultus. Ipsa nimirum optimè novit, quid sit Deum derelinquere, & à Deo separari. Utinam & ego hoc perpendissem!

O JESU! ego te sæpe dereliqui. Ah! noli me pœna talionis punire. Adjutor meus esto: & nè derelinquas me.

Statio XV.

GLoriosissima Christi Crux est; ast adeò gloriosa haud foret, nisi in ea mortuus esset Salvator. Pariter Crux Religiosi instituti non erit mihi gloriosa, nisi in eadem mortuus fuerim.

O Crux Christi! mortifica me, ut cum JESU glorificem te.

PRAXIS XVIII.

Statio I.

CHristus voluntati Judæorum traditus est non tam à Pilato, quàm à SS. Trinitate, quæ infinito amore diligebat JESUM; traditus est tamen. Ah! utinam in tantùm diligerem, ut Deo meo me mutuò traderem.

O JE-

O JESU ! totum me tibi offero. Jam non ſum meus, ſed totus tuus.

Statio II.

CRucem ſuſcipit ; ſed antea propriîs indutus eſt veſtibûs, ut eò faciliùs agnitus majori haberetur ludibrio. Si tu, ô Religioſe ! in die Judicij comparueris in veſtibus Religioſis, & non vixeris religiosè, dæmonum, Angelorum, & hominum ludibrio, ac riſui exponeris.

Lugebo jam ad pœnitentiam, nè quondam irrideant me inimici mei.

Statio III.

CAdit in terram, & carnificum pedibûs conculcatus, ac opprobriosîs blaſphemiîs laceratus, altùm ſilet. Tu, homo ſuperbe ! leve dicterium, verbulum punctorium, aut correctorium, non ſuſtinens, omnium te pedibûs conculcari conquereris. Vah humilitatem !

O JESU humillime ! doce me veram humilitatem.

Statio IV.

AMat JESUS Matrem ingenti amore : valedicit ei tamen, & ad mortem properat. Heu ! quantùm ego amo paſſiones, & luriditates meas, ut eis amore JESU non valedicam.

Valete vanitates, riſûs, tepiditates! ut JESUM habeam, vos jam abjiciam.

Statio V.

RECuſat Simon ferre Crucem poſt JESUM, quem, licèt noverit ex fama, non tamen novit inter vincula. Sic & ego ago cum Chriſto.

O JESU! qualis amor meus? Proſpera fluunt; ſequor: adverſa ingruunt; fugio. Non ille verè amat, qui non ſemper amat.

Statio VI.

COrporeîs oculîs Veronica JESUM aſpexit, & commiſeratione mota velum capiti detraxit. Ego oculîs fidei eum aſpicio pro me paſſum, laceratum, mortuum: & quis ſequitur effectus, quæ vitæ emendatio? quis me impedit?

Ah! non alius, quàm propriæ carnis amor. O JESU! hunc tolle à me.

Statio VII.

INfinitîs injurîs laceſſitur, & in terram dejectus ſtat ſtatuâ firmiùs; quia ad injurias non movetur. Et ego injurias injuriîs compenſo? Si Deo illudit mundus, an mihi parcet?

O JESU! non eſt ſervus major Dominô ſuô. Irridear à mundo, ut ſervum tuum me eſſe comprobem. Exeam ad te extra caſtra vanitatis, & mundi improperium Crucis tuæ portans.

Statio VIII.

MIſerandus Chriſti patientis aſpectus, qui ante

te paucas horas Petro, mox mulieribus amaras exprimit lacrymas. Ego autem ſæpe Chriſtum patientem aſpicio: ſed ubi lacrymæ? ubi pœnitentia? ubi compaſſio?

Planè cor obduratum, & Pharaonicum ego habeo. Tu, ô JESU! illud emolli.

Statio IX.

CAdit; ſed recollectìs ultimìs viribûs ſcandit montem Calvariæ. Ah! quàm lentus ego ad Dei obſequium? quàm promptus ad malum?

O JESU! omnes greſſus tui clamant, quòd ames me: cur non etiam amem te? ô! utinam ſemper amâſſem, & deinceps amarem.

Statio X.

VIolenter exſpoliatur veſtimentìs. Jacob viſa filij ſui tunica, ſanguine conſpersâ, altùm ingemuit, & ad mortem uſque deſolatus eſt. Et ego visâ Filij Dei tunicâ, totâ quantâ ſanguine purpuratâ, non ingemiſcam?

Ah! ingemiſco tanquam reus: culpâ rubet vultus meu: ſupplicanti parce Deus!

Statio XI.

AMore mei inclinat ſe in Crucem, triginta tribûs annìs exſpectatam. Heu! quot annis ego non Crucis amplexum, ſed fugam meditatus ſum? quot nimirum annìs Chriſtum non amavi.

Erravi,

Erravi, ſicut ovis, quæ perijt. Nolo deinceps fugere à Deo meo, & ejus Cruce.

Statio XII.

JESUS in Cruce moritur. Sed quis eum crucifixit? quis occidit. Ah! conſcientia mea reum me proclamat. Ego (vah ingratam belluam!) ego eum crucifixi, ego trucidavi! Quid de me fiet, ſi animam pro anima, ſanguinem pro ſanguine Deus requirat?

O JESU! mortem merui. Ergo, nè tu eam inferas, mei ipſius judex ero, & lictor: memetipſum crucifigam.

Statio XIII.

JOſeph Arimathæus audacter acceſſit Pilatum, & peijt ab eo, ut ſibi liceret corpus JESU de Cruce deponere. Tu Joſephum imitatus audacter aggredere tuas paſſiones, quas hactenus timuiſti.

O JESU! ſanctam hanc audaciam cordi meo inſtilla, & conſerva.

Statio XIV.

LUget Mater, dolétque ſuper Filium, de Cruce depoſitum. Sed unde iſte dolor? Inde: quòd Deum, amore mei mortuum, non redamem.

O Mater doloris! conſortem amoris me fac, & mœroris.

Statio XV.

HÆc est Crux Christi, totius orbis veneratione dignissima. Ego autem eam verbîs tantùm veneror, & factis fugio, ac horreo.

O Crux sancta! etiam renitente, & obstrepente carne te amplector, & dimittam nunquam, Amen.

PRAXIS XIX.

Statio I.

UT Pilatus possit manere amicus Cæsaris, Christum ad mortem damnat. Et ego, ut amicus manere possim, non Cæsaris, sed fœdæ carnis, quomodò cum Deo ago?

Audi flagitiosa caro! non tuus amicus posthac, sed hostis ero. Deo non pepercisti: nec tibi parcam. O JESU da gratiam!

Statio II.

JESU Christo, omnibus benefico, erga omnes pio, probrosam imponunt Crucem. Hanc mercedem dat nimirum mundus. Ut quid ergo ego labores meos recognosci, laudari, rememorari desidero?

Scitote homines universi! vestras sperno mercedes,

cedes, & amplector ludibria, contemptus, detractiones, & judicia. Hæc veniant ſuper me; nec alia laboribus meis merces ſit, niſi ſolus Deus.

Statio III.

IN terram dejicitur JESUS, & canis inſtar impiorum pedibûs conculcatur. Verè noviſſimus virorum JESUS: & ego primos honores amo. Quæ inſania!

O JESU! ſi in regno tuo noviſſimi futuri ſunt primi: ſim omnium peripſema in hoc mundo.

Statio IV.

ACcerbiſſimô doloris gladiô cor Matris Virginis perforatur, ubi videt Natum ſuum tam immaniſſimè tractari, & raptari. Sed quomodo ego eum tracto in SS. Miſſæ ſacrificio, & Altaris Sacramento?

O MARIA! ingentis tibi luctûs cauſa fui mea luriditate: ſim & cauſa ſolatij ignita devotione.

Statio V.

JESUS ex virium defectu Crucem ſolus portare ampliùs haud poterat, & non erat, qui adjuvaret. Me autem juvat Deus ipſe in portanda Cruce; & ego eum repello meâ impatientiâ. Quantum nefas!

In te Domine confido: in omni tribulatione mea confortabis, & juvabis me.

Statio VI.

VEronica faciem Chriſti ſudario impreſſam exhibet. Poteríſne, ô anima! absque pio horrore illam intueri? Sed, an viciſſim poterit Deus faciem animæ tuæ absque horrore intueri?

O JESU! averte oculos tuos à peccatis meis: nè projicias me à facie tua.

Statio VII.

EXtra portam civitatis cadit Chriſtus ſecundò. Duas civitatis (ait S. Aug.) fecerunt duo amores: civitatem diaboli, amor ſui uſque ad contemptum Dei: civitatem Dei, amor Dei uſque ad contemptum ſui. Scis jam, cur extra civitatem cadat Deus.

O JESU! graviſſimo hoc lapſu voluiſti amorem mei proprium opprimere. Ah! utinam oppreſſus maneat.

Statio VIII.

MUlieres, videntes JESUM, ſecutæ ſunt eum plangentes. O anima! nôſtíne hunc hominem, qui Cruce oneratus educitur ad montem Calvariæ? ſi nôſti: quare eum non ſequeris?

O JESU! ſequar te, quocunque ieris: etiamſi oportuerit me mori tecum (ſed mihimetipſi) non te negabo.

Statio IX.

JESU tertiò labitur, & ferociter pertractatur: silet tamen. Et ego in venerationem hujus silentij Religiosum silentium non observem?

Doce me Domine linguam cohibere, & Religiositatis spiritum in silentio cordis, & oris custodire.

Statio X.

JESUS potatur felle, & acetô, ut in cibo, & potu doceret me abstinentiam. Sed, ô me vanam Religiosi umbram! cui hactenus magis cordi fuit sanitas, quàm sanctitas: magis refectio, quàm perfectio: sensualitas potiùs, quàm frugalitas.

Statio XI.

PRopositum me redimendi validissimîs Cruci affixit clavîs Salvator. Utinam unicus horum clavorum mea stabiliret proposita!

O JESU! fortem me fac, & constantem in propositorum bonorum executione.

Statio XII.

CLamans: *Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum*, exspiravit. Ah! utinam Spiritum suum in cor meum immisisset! sed, ait, non manebit Spiritus meus in homine, quia caro est.

Vincam

Vincam igitur carnem cum ſuis carnalitatibus, ut maneat in me Spiritus Chriſti.

Statio XIII.

DE Cruce deponitur. Jam ego deberem Crucem aſcendere. Sed quando hoc fiet?

Fac, ô JESU! ut Crucis aſcenſum non differam uſque ad diem deſcensûs in ſepulchrum.

Statio XIV.

POſt mortem crudeliſſimam quieſcit tandem JESUS in ſepulchro. Ego verò quietem quæro ante laborem.

Laborabo igitur, & vehementer curram, ut accipiam bravium.

Statio XV.

SAncta Crux eſt inſtructiſſima illa bibliotheca, ex qua B. Helena victoriam mundanarum vanitatum, & S. Bonaventura ſtupendam hauſit ſcientiam. Utere & tu hac bibliotheca.

O ſancta Crux! tuô magiſteriô diſcam JESUM, & hunc Crucifixum; & ſufficit mihi.

PRAXIS XX.

Statio I.

STat JESUS coram Pilato, ceu malefactor co-

ram Judice, & ad mortem condemnatur. Si Innocens ſic judicatur à Deo ob ſcelera aliena: quid me nocentem manebit ob flagita propria?

O JESU! da, ut, quod malè feci, priùs corrigam, quàm ſtem coram te Judice; à judicijs enim tuis timui.

Statio II.

ULtrò, & cum gaudio Crucem amore mei ſuſcipit. Ego ad obſequium Dei vocor, ducor, trahor, ſtimulor, & non vado. Timendum, nè dicatur mihi: *Quia vocavi, & renuiſti; ego in interitu tuo ridebo.*

O JESU! deinceps vocabis me, & ego reſpondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram.

Statio III.

JESUS in terram ad pedes carnificum corruit: & ut me, qui ſub pedibus dæmonum jacui conculcatus, eriperet, ipſe conculcari ſe patitur pro me. Quid huic amori rependo? tam nihil, ut meîs denuo pedibûs eum conculcem.

O JESU! nè permittas te offendi à me? nè permittas me ſeparari à te.

Statio IV.

LUget Mater obvium in via Crucis Filium. Ego verò vix dignor eum aſpicere; aut rarô ſaltem obiter, & perfunctoriè.

O MA-

O MARIA ! non tranſeuntem tantùm , ſed permanentem mihi impetra compaſſionis affectum; ut tecum pariter, & Chriſto compatiar.

Statio V.

IMperator cœli , & terræ , ex ſervis ſuis invenit neminem , qui voluntariè eum juvaret in Cruce portanda. Si Dominus temporalis haberet ſervum , qui non juvaret Dominum veſtire, aut in alia re non obediret : quomodo eum tractaret ? an rogaret , an invitaret ? JESUS , Dominus meus , & Deus meus , rogat me , invitat me , ut Crucem mortificationis tollam poſt ipſum : & non juvo , non obedio.

O JESU ! viciſti tandem meam obſtinaciam tuâ patientiâ. Dirupiſti vincula teporis mei. Jam Crucem amplectar , & à tuo famulitio non deſiſtam ampliùs.

Statio VI.

UT primùm aſpexit Veronica vultum Salvatoris indigniſſimè defœdatum , ſtatim velum capitis obtulit. Ego illum vultum in via Crucis ſæpiùs aſpicio ; ſed quis ſequitur affectus ?

O JESU ! da , ut ſequatur vitæ , morúmque emendatio , & beatifica tui viſio.

Statio VII.

HOrrendiſſimè cum JESU agunt Judæi , milites , & carnifices , ac modò peccatores. Ip-

ſe verò tacet ; non recenſet eorum peccata, & crudelitates, ſed, *Pater dimitte illis*, in corde tacitus clamat. Ego autem, cùm honorificè non poſſum, de alijs malè loqui delector ; aut cùm poſſim honorificè loqui, nolo. O vitium linguæ!

Pone, Domine! cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis.

Statio VIII.

FIliæ Jeruſalem! venite, videte Regem Salomonem. Veniunt, vident, lugent. Sed JESUS regnum ſuum negat eſſe de hoc mundo ; ideo tam paucos numerat amicos, & ſervos : mundus autem longè plures, & inter hos etiam me.

O JESU! non ſim de hoc mundo, quem Paraclitus tuus arguet de peccato : ſed ſim inter eos, quos tu de hoc mundo elegiſti.

Statio IX.

CAdit JESUS tertiò, & me impellente graviſſimè proſternitur. Heu! quam vindictam ſumet? quam ſatisfactionem exiget? Non aliam, quam ut ipſum deinceps non offendam, ſed fideliùs ei ſerviam. O ſatisfactionem levem; & tamen nec hanc præſtiti.

O Domine! habe mecum patientiam, & fideliſſimè tuo ſervitio intendam.

Statio X.

DOlorosa non minùs, ac ignominiosa Christo erat vestium detractio; sustinet tamen, ut moriturus nihil mundani retineret. Ast & mihi dolorosa accidit vitiosorum habituum depositio; sed ignominiosior erit post mortem eorundem retentio.

Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis; sicut in die honestè ambulemus.

Statio XI.

NUdus in Crucem agitur, & crudelissimè extenditur. Jam numerare licet (si tamen numerari possunt) vulnera, quæ amore mei tulit. In me autem qualia numerabit JESUS? ipsius, an mundi amore accepta?

Ah! utinam tanta fecissem, & sustinuissem vulnera amore JESU, quanta feci, & sustinui vulnera amore mundi!

Statio XII.

SI Filius Dei est (clamabant Judæi) descendat de Cruce. Imò, quia Filius Dei est, non descendit de Cruce. Hæc enim proprietas Filiorum Dei est: hæc est cogitatio excelsa Filiorum Dei, Crucem ascendere, & non descendere. Habésne tu similem cogitationem?

O JESU! da, ut habeam, & exequar!

Statio XIII.

JESUS, dignissimus immaculatæ V. MARIÆ Filius, post mortem suam in ejus sacratissimo sinu voluit quiescere. O MARIA! pariter in, & post obitum meum *Monstra te esse Matrem!* timeo tamen haud vanè, nè respondeas mihi, quod illi: *Monstrâsses te filium.*

O MARIA! per vulneratum cor JESU te obtestor: nè despicias me in extrema necessitate mea. Recordare, amantissimæ Matris esse, etiam degenerem non abjicere filium: studebo tamen, ut tuô me dignum reddam deinceps patrociniô.

Statio XIV.

DEportatur ad Sepulchrum venerabile Christi Corpus, sed jam impassibile, & incorruptibile. Ah! utinam deinceps sic viverem, ut saltem anima post mortem non videat corruptionem.

O JESU! præserva animam meam à corruptione peccati, ut & de me verificetur illud: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

Statio XV.

IN hodiernum usque diem stat Crux sancta, tanquam memoriale Passionis Dominicæ, quod è terra eruit B. Helena, & cordi suo impressit Alexander Ursinus, Princeps Romanus, subtus

veſtem portans Crucem, ferreîs armatam aculeîs, eámque validîs impreſſionibûs ſæpiùs cruentans. Ah! utinam memoriale hoc cruentum indelebili charactere cordi meo maneat inſculptum.

O JESU! pro ſacra hac per viam Crucis peregrinatione, quam propter te ſuſcepi, & deinceps frequenter inſtituere volo, aliud à te non efflagito prœmium, quàm indeſinentem Crucis amorem, & ſitim ejus indelebilem, Amen.

Pater, & Ave.

O Amor Crucifixe! miſerere mei.

OBLATIO,

Seu gratiarum actio poſt ſingulas praxes uſurpanda.

AMantiſſime Domine JESU Chriſte! qui ex infinita tua miſericordia, & ſupereffluente charitate erga me, tot & tantîs doloribûs, laboribûs, & cruciatibûs, doloroſiſſimam hanc ad montem Calvariæ peregrinationem inire, & perficere voluiſti, méque ad idem faciendum tuô ſanctô exemplô induxiſti: omnes paſſus meos, omnia ſuſpiria, & affectus, Divinæ Majeſtati tuæ cum tot centenis, imò millenis paſſibus, à prætorio Pilati ad Calvariæ uſque funeſtum locum per te confectis, unitos, offero, teque cordintimè

collau-

collaudans gratias ago profundiſſimas propter ſanctiſſima tua vulnera, & pretioſiſſimum ſanguinem tuum, propter univerſam doloroſiſſimam Paſſionem tuam, & acerbiſſimam mortem, infinitáque alia bonitatis, & Miſericordiæ tuæ argumenta, inſpirationes, bonos affectus, & pia deſideria, quæ in anima mea operari dignatus es, humillimè rogans, ut ad ſacram hanc peregrinationem ſæpiùs obeundam animum mihi largiri digneris, virésque bona propoſita exequendi, peccata præterita deflendi, & vitam Religiosô, ac Sacerdote dignam inſtituendi. Deníque rogo, animas pauperum tuorum, in purgatorio detentas, nè obliviſcaris: peccatores omnes in virtute SS. Sanguinis tui emendes, Eccleſiam militantem contra quoſcúnque hoſtium inſultus corrobores, & poſt hanc miſeram vitam in cœlum transferas, Amen.

Omnia ad DEI Paſſi Gloriam.

ſan-
inem
aſſio-
áque
nta ,
eria ,
nilli-
onem
eris ,
præ-
acer-
imas
, nè
SS.
con-
, &
ras ,